


PETRI DANIELIS
HUETII
POEMATATA,
LATINA & GRÆECA,

Quotquot colligi potuerunt.



TRAJECTI ad RHENUM,
Ex Officina GUILIELMI BROEDELET.

A. D. M. DC. XCIV.



JOANNES GEORGIUS GRAEVIUS

S. D.

LECTORI.



Armina Viri summi,
Petri Danielis Hue-
tii, Antistitis Ab-
rincensis, cum bo-
na quadam fortuna invenissem
apud extorem Galliae, non
potui non, Lector φιλόμυσε,
tecum ea communicare: quod
haut invitis Musis, & secun-
da tua, si Musarum deliciis ca-
peris,

* 2

7.

P R A E F A T I O.

peris, voluntate me fecisse puto. Viri excellentis exquisita diffusaque per omnes divinas humanasque disciplinas doctrina, tot aeternis ingenii monumentis orbi terrarum testata, nemini, nisi omnis humanitatis ignaro, potest esse obscura. His dotibus sciebam non deesse versuum Graecorum Latinorumque scite pangendorum facultatem. Nam non pauca Viri Illustris carmina videram dudum, quae pro veteri triginta fere annorum amicitia mihi miserat subinde, valde cum mihi, tum aliis, qui de his recte poterant existimare, probata. Inde illam de herba Serica, quam Thee appellant, elegiam ante annos aliquot in Galliis editam, hic jusse-

P R A E F A T I O.

jusseram denuo typis mandari, cum omnes, qui legerant apud me, illius describendae cupiditate tenerentur, singulari ejus suavitate & elegantia commoti. Cum autem in plura nuperius, quae antea non videram, eaque cultissima Huetii poemata incidissem, valde laetabar. In primis afficiebat me mirifice lectio illius idyllii, quod de morbo, quem in aetatis flore contraxerat gravissimum, deque illius remediis scripserat. Memoriam enim mihi refricabat jucundissimam illius temporis, quo id mihi adolescenti V. CL. Alexander Morus, quem tum Amsterodami humaniores litteras docentem officii causa saepe salutabam,

P R A E F A T I O.

in Musaeo suo recitabat, cum magna ingenii auctoris admiratione, quo neminem felicius genium Lucretiani styli, ad cuius imitationem erat conformatum hoc idyllium, effinxisse praedicabat, cum non nulli docti homines nullo successu ad tentandum talis poematis genus vires ingenii fuissent periclitati. Itaque, viso hoc tot inuisorum mihi antehac carminum thesauro, temperare mihi non potui, quin exclamarem, Eia commune sit, quodcunque est lucri! Nec in eius consortium me sunt dignati admittere, qua sunt humanitate, in quorum erat custodia. Votorum compos petii quoque potestatem poemata
haec

P R A E F A T I O.

haec publicandi, ne videremur aliis invidere, quam nos ex iis capiebamus, voluptatem. Cum & haec mihi venia data esset, nolui has eruditionis poeticae lautitias, multo venustatis sale persparfas, Tibi, Lector, diu debere, ne cum ipse parens horum pulcherrimorum foetuum, qui nunc totus est in graviorum studiorum tractatione, videretur illos negligere, ac nolle tollere, perirent. Vale: his fruire: & mecum opta, ut ceterorum quoque carminum ineditorum potiaris, quae pangere solitus olim est Huetius, quaeque latitare apud eius amicos testes habeo locupletissimos, qui ajunt plura se aliquando vidisse, quam hic
col-

P R A E F A T I O.

collecta habentur, apud Virum celeberrimum. & mihi, cum in vivis esset, amicissimum Stephanum le Moyne, nec non apud Virum amplissimum Du Tot, Ferrare, Senatorem Rhotomagensem. Iterum vale.



VI.



V I T I S,
E C L O G A.

AD CLAUDIUM SALMASIUM.

ET nos infaustum Vitis referamus amorem,
Quoque modo juvenem dum caeca ample-
ctitur Ulmum,
Formosum torta mutaverit arbore pectus.
At tu sive leves scriptis ulcisceris Anglos,

Dogmata seu torvo referas dictata Cleanthi
Porticibus quondam pictis, seu quo ordine quondam
Constiterit patriis acer Romanus in armis,
Claudi, noster amor, tenuous ne despice lusus.
Tempus erit cum nos, adsit modo faustus Apollo,
Jam pastoralis spernentes carmina Musæ,
Rite suum Divis olim dicemus honorem.
Et Divûm genus, Heroas tollemus ad astra.
Tum quoque, Salmasi, nostro celebrabere cantu,
Si modo non refugis, mistusque videberis illis.

Dum summo quondam Parnassi e vertice Bacchus
Prospicit, atque oculis lentus circum omnia iustrat,
Plurima floriferis exultat Oreas in arvis,
Et simul implicitis manibus per gramina festas
Exercet choreas; quas inter candida Vitis
Emicat, egregio tantus decor insidet ori.
Hanc Deus ut vidit, venis ut concipit ignem,
Et molli nitidos infigit pectore vultus.
Continuo specula præceps erumpit ab alta,

A

E

Et placido primum Nympham sermone salutat,
 Inde etiam officiis permulcens omnibus ambit.
 Nec Dea designata Deum est: mox victa dolosis
 Obsequiis roseas ardentem excepit in ulnas.
 Scilicet ex illo paribus conjunxit amantes
 Unus amor nodis, una arcto copula nexu.

Interea longum nigros carpebat ad Indos
 Bacchus iter, cædesque Viris ac vincla parabat.
 Protinus attonita turbatam mente puellam
 Tristis adit, mœstis & fletibus ora rigantem.
 Jamque vale, mea Vitis, ait; me iussa Tonantis
 Extera nunc cogunt invitum quærere regna.
 Adjuro pice torrentes & sulfure ripas
 Non alias tantum me suscepisse dolorem.
 Finibus at postquam me fatum extruserit istis,
 Seu teretem versas arguto pollice fufum,
 Seu clamore premis timidus ad retia damas,
 Seu levibus comitum saltas immista choreis,
 Vive memor nostri; non unquam oblivia vultus
 Ulla tuo possint e pectore tollere nostros.
 Dixit, & averso torfit vestigia gressu.

Illa quidem, ut perhibent, curis ingentibus agra
 Fugit, & in sylvis sese Dea condidit altis
 Multa gemens, magnoque animum labefacta dolore,
 Dum precibus vanis Superos atque astra fatigat,
 Atque sui frustra reditum sibi poscit amantis.

Aurea jamque suum bis Luna impleverat orbem;
 Illa per umbrosos saltus, scopulosque sonantes,
 Errabat demens animi, lymphataque Bacchum,
 Absentem Bacchum repetita voce vocabat;
 Ipsa cavis Bacchum referebat vallibus Echo:
 Cum gemitum & Nymphæ vocem procul audiit Ulmus,
 Florea dum lentus pecudes per gramina pascit,
 Inter pastores longe pulcherrimus Ulmus.
 Audiit, atque illuc suspensis gressibus ivit,
 Flebilis unde dabat se vox, tristesque querelæ.
 Atque is dum frondes inter prospectat opacas,

In-

Incerto mœstam vidit sub lumine Vitem,
 Et procul obscura vultus agnovit in umbra,
 Fletibus humentes vultus, lacrymisque decoris.
 Ille quidem fletus Nymphæ miseratur acerbos,
 Nec non & Nymphæ vultus miratur & ora.
 Haud mora de latebris audax se proripit Ulmus,
 Turbataque dedit se coram Vite videndum.
 Mox prior hæc, Quæ te lacrymantem incommoda tangunt,
 O Dea, quis nigris cogit te condere sylvis?
 Namque Dea es, si quid divino creditur ori.
 Hæc Ulmus. Vitis contra sic rettulit Ulmo,
 Nam secreta, puer, quis te loca quærere jussit,
 Furtivam ut nostris præberes luctibus aurem?
 Quod petis, haud promptum est longum narrare laborem.
 Sic ait, atque alios agitabat mente receptus,
 Cum tali juvenis dubiam sermone repressit:
 O utinam tantos possim lenire dolores!
 Hic ego dum pasco simas per rura capellas,
 Auditur luco gemitus lacrymabilis imo;
 Scilicet accuri. At si quidquam opis indiga nostræ es,
 Nusquam abero, non me officiis superaverit alter.
 Sed nunc in sylvis vitam quid transigis atris,
 More feræ? nostris potius succedito tectis:
 Et sunt nostra quidem tecta huic contermina sylvæ.
 Hic varia instructas onerabunt fercula mensas:
 Et si quæ præstare valent solatia cantus,
 Tale tibi blanda modulabor arundine carmen,
 Quale sub Arcadio cantat Pan ipse Lycæo.
 His permulsi animi, & sensim de pectore cessit
 Quippe dolor, nec jam sylvæ placuere silentes,
 Jamque petit sibi formoso solamen ab Ulmo.
 Bacchum amat illa quidem, sed & Ulmum diligit illa,
 Et dum Bacchus abest, præsentem diligit Ulmum.
 Quid plura? absentem paulatim abolere Lyæum
 Incipit, atque novo Vitis consumitur igne.
 Sæpe illam, Bacchi cum forte recursat imago,
 Mutavisse fidem pudet, & nil tale merentem

A 2

De-

Deseruisse Deum, pecorisque arsisse magistrum:
 Sæpe sui vultus si forte aspexerit Ulmi,
 Tum fortunatam tali se credit amante.
 Ipse etiam similes traxit per viscera flammæ
 Ulmus, & insoliti stimulos persensit amoris.
 Felix Ulme nimis, Vitem dum diligis, illa
 Respondet curis & amorem exæquat amore.
 Jamque triumphatis victor remeabat ab oris
 Bacchus, eum circum gravibus constricta catenis,
 Nec bene servitii patiens gens decolor ibat.
 Ille ubi felici notas pede contigit oras,
 Prima videre suam tanto post tempore Vitem
 Cura fuit, solitasque audire & reddere voces.
 Necdum etenim Vitis velanum, Bacche, furorem
 Audieras, Nymphæ is subito se ad limina profert:
 Nympha per umbrosos Ulmo comitante recessus,
 Deliciasque hortorum inter, florentiaque arva
 Iverat, & niveis Ulmum tum forte lacertis
 Amplexata, sibi æternos optabat amores,
 Cum procul hærentem juveni, mollique foventem
 Complexu, torvo respexit lumine Bacchus.
 Ilicet irarum violento percitus æstu,
 Ergone, ait, nostrum potuisti fallere numen,
 Immeritumque dolis fraudasti, perfida, Bacchum?
 Ergo puella meos impune irriserit ignes,
 Supplicioque scelus merita nec morte rependet?
 Juppiter, o nostri si vere sanguinis auctor
 Diceris, & non ulla tuæ te tædia prolis
 Cepere, ingratam pœnas da solvere Vitem,
 Quas meruit; nec se pœnis subduxerit iste,
 Sitque in morte comes, ceu turpi in crimine Pastor.
 Audiit Omnipotens gemitus & vota rogantis.
 Continuo amborum terræ vestigia figit:
 Tum vero ramos digitis exire videres,
 Et viridi comptos involvi fronde capillos.
 Jamque suum sentit nodoso cortice pectus
 Nympha tegi, & rigido mutari viscera ligno.

Tu

Tu quoque supplicio, Pastor, damnatus eodem,
 Pro capite excelsum tollis super astra cacumen,
 Pro pedibus lenta radice in Tartara tendis,
 Emoriturque vagus procero in corpore sensus.
 Sed quamvis duro septi sint undique libro,
 Lumine cassi ambo, penitusque sit arbor uterque,
 Una tamen semper miseris sententia restat;
 Hæc Ulmo æternum dum vult hæsisse marito,
 Hic tenuisse inter dilectam brachia Vitem.

EPIPHORA, IDYLLIUM

AD

LUCRETIANI CARMINIS LEGEM,
 Quoad ejus fieri potuit, exactum.

PRÆSTANTISSIMO VIRO
 ALEXANDRO MORO
 S. P. D.

PETRUS DANIEL HUETIUS.

*C*um essem ante annum in Hollandia, tum primum
 notitia, nec multo post magna familiaritas inter vos
 fuit. Etsi autem nullo sequestro adhibito, sed casu quo-
 dam suscepta hæc amicitia est, ejusmodi tamen animorum
 conjunctio statim est consecuta, ut non recens nata illa, sed
 a multis retro annis conflata & confirmata credi posset.
 Neque enim ego ullam de te bene merendi occasionem præ-
 termittere; neque tu ullis omnino officiis, quibus amicitia
 fovetur & ali potest, deesse videbare. Meminero equidem,
 quoad vivam, quam amica me & sollicita ope istic cum
 adversa valetudine conflictantem sis prosecutus: quam sal-
 sis

A 3

sis & Atticis jocis, omni lepore conditis, valentiorum quidem me, sed fastidio, quod ex morbo contraxeram, adhuc laborantem, tanquam bellariis exceperis: quam cultis & eruditis carminibus, me jam pristinae sanitati restitutum, languidulum tamen, ad excutiendum veterum hunc, ad reponendum etiam provocaris. Fecissem id quidem, nec ingratis, nisi per temporis angustias (id quod tute scis) & occupationes sterisset, quibus tum misere distrahebar. Adduxisti tamen eo me, ut quod inter negotia ne aggredi quidem poteram, illud ego in otio, quod nunc primum nactus sum, facturum me aliquando reciperem. Ab illo itaque tempore oppigneratam tibi fidem meam nunc tandem libero. Hoc unum pra me fero, eos quos ad te mitto versus, Latinos esse; & vel ipsa argumenti novitate futuros tibi non ingratos; atque adeo ad Lucretiani carminis normam fuisse exactos. Quod si me mea opinio, temere forsitan praecepta, ut sua quemque saepe numero fallit, scito viros magnos, Johannem Auratum, & Famianum Stradam, aggressos idem aliquando, turpiter se dedisse. Vale, Cadomi, ipsis Calendis Januariis, MDCLIV.

EPIPHORA,
IDYLLIUM STYLO LUCRETIANO
CONSCRIPTUM.
AD PRAESTANTISSIMUM VIRUM
ALEXANDRUM MORUM.

INCLUTA Mnemosynæ soboles, o nostra voluptas
Calliope, praestans animorum conciliatrix,
Quæ sensim fera corda lacis, quæ voce canora
Blanditum mulces hominum mortalia secla:
Tu me nascentem dias in luminis oras
Æterno complexa favore es, proque secuta;
Per te jucundam potui traducere vitam

Hæc-

Hactenus, haud Phœbi donis cantuque carentem:
Tu nostro curas pepulisti e corde sequaceis,
Et potuisti animi dubios componere fluctus:
En etiam nostris divinos incutis igneis,
O Dea, pectoribus; per summa pericula ductum
Quo postquam caput immiti subduximus orco,
Nunc alacres tandem & morbi languore soluti,
Carmine promamus longi tormenta doloris;
Carmine, quo quondam magni Lucretius orbis
Naturam, & cœli descripsit maximitatem.
Ergo his flexanimum dictis insperge leporem,
Permulcere mei quò cantu suaviloquenti,
Melleque Musæo possim contingere doctum
Pectus Alexandri, quem tempus, Diva, per omne
Omnibus instructum cumulaisti prodiga donis.
At tu, More, cave, ne quæ disposita fideli
Mœnera nostra tibi studio sunt, spreta relinquant,
Diversusve abeas, sint interlecta priusquam;
Ne te Calliope quoque dedignata relinquant.

Alter mensis hic est, ex quo sum nactus acutum;
Atque novum, notumque mihi non ante dolorem.
At quo de genere hic morbus fuit, illud ego istis
Carminibus conor describere; protinus omni
A similis morbi causa ut caveat sibi, quisquis
Versibus advertet nostris animum, adque plicabit.

Verfabar dum forte inter juvenesque, puellasque,
Ingentique animum devinctus vulnere amoris
Quærebam quam arte meam mihi conciliarem
Phyllida, detexi caput, ut volgo fit, & isto
Ornatu, mentis cœp iintima sensa profari.
Illa quidem nostris haudquaquam saxea dictis
Aurem præbebat facilem, mentemque benignam,
Responsisque etiam me dignabatur amicis.
At mea dum blanda delinit corda loquela,
Haud animadverti stillare ex æthere tetrum
Humorem, qualis crepera sub luce profundi
Sæpe solet, fera ostendit cum lumina Vesper.

A 4

Con-

Continuò humenti contactus frigore vertex,
 Infestique algus læsum stringore cerebrum
 Collectæ magnam fundit vim pituitai.
 Quod genus in putri cum caudice prendimus olim
 Tardigradam cochleam, domiportam, sanguine cassam;
 Illam si quis acus ferro transfigat acuto,
 Angustas intra sese mox contrahit adeis;
 Interea deforme exit de volnere virus,
 Percussoris acum maculans, dextramque cruentans.
 Sic postquam admorsum est noctis cere frigoribus brum,
 Haud mora contrahitur; tum vero noxius humor
 Expressus, capitis per caulas diffluit omnis.
 Pars etenim in fundum volvit se pectoris imum,
 Stringitur unde acri humectum raucedine guttur,
 Unde & languentes artus quatit improba tussis.
 Pars stomachum diversa petit, rivosque fluentes
 Excipit ingluvies, atque hic demum coalescunt,
 Et gignunt non parvum corrumpendo dolorem.
 Hujus at humoris pars effluit altera apertis
 Naribus, in mucum & turpem resoluta coryzam;
 Atque nisi immundas nares sudaria tergant,
 Scilicet assiduo decurrat flumine mucus.
 Quin etiam pituitai se colligit hujus
 Particula, & refugit sectos averfa meatus,
 Insolitamque viam tentat, gaudetque remotas
 Indugredi capitis partes, tum inclusa cavernis
 Verticis, emitti nulla ratione potestur,
 Sed potius latebris intus comprehensa tenet se,
 His animadversis, nunc rem describere pergam,
 Illo quo nuper mihi contigit ordine. Totum
 Postquam traduxi languens ex rheumate menssem;
 Tetraque replerunt pituitæ flumina pectus;
 Ter denosque dies de naribu', deque cerebro
 Humor profluxit; nec longum tempus, & ingens
 Dimidii capitis dolor ingruit, haud secus atque
 Si foret in cerebrum mihi forte impacta securis
 Vi magna; ratus hunc sum scilicet esse dolorem,

Quem missi gignunt alvi de sæce vapores.
 Ast erat a vera longe hoc ratione repulsum,
 Et me animus fallebat; enim nonnulla vacivos
 Pars erat illius humoris nacta recessus,
 Membranas inter cerebri, & dextrum inter ocellum.
 Naviter at clausus cum omnis foret exitus eji,
 Ipsum sese oculum intra aggressa erat insinuare.
 Tum proporro, essent quasi magna percita plaga,
 Lumina turgebant circum suffusa rubore
 Sanguineo, lacrymisque perennibus ora rigabant:
 Alterius sed enim morbus communis utriusque est.
 Adde quod incerto tentari membra rigore
 Experiebar, & alternis me pallida febris
 Frigore torrebat languentem, aut igne coquebat.
 Hinc factum ut deformaret liventia lurore,
 Et tristum circum macies obduceret ora.
 Ergo convenio medicum: Quæ pocula sumam?
 Num pilula in nostram mittetur, num bolus alyum,
 Qui magnum possit capitis sedare dolorem,
 O Asclepiade, lacrymasque abstergat ocellis?
 Hæc ego; tum medicus contra sic farier insit:
 O Juvenis, prima novisse ab origine morbi
 Illius causam, non intermissa Galeni
 Lectio, & Hippocratis multos versata per annos
 Pagina Phoebigeni, experientiaque ipsa, dedere.
 Hæc ille, & morbi causas memorabat easdem,
 Carminibus quas nos paulo descripsimus ante.
 Ergo has aggreditur certa expugnare medela.
 Nam plantagineis albumina diluit undis
 Ovorum; hinc porro cataplasmata frigida fiunt,
 Quæ possint oculis humorem avertere tetrum.
 Femina præterea, quæ partum enixa recentem
 Esset masculeum, quæque esset nigra capillis,
 Deligitur, nostrumque petit delecta cubile;
 Distento huic candens ex ubere lacteus humor
 Funditur, hoc insertim turgida lumina mulcet;
 Protinus ut tali tactu recreata valescant.

[10]

Quin etiam fluvijs inter, pigraſque paludeis,
 Quæritur informis, ſitiensque cruoris hirudo,
 Anguineum genus; hæc poſtquam deprenſa tenetur,
 Temporibus noſtris adponitur, adque plicatur
 Ægros circum oculos; tum dente admordet acuto
 Pelliculam, impurumque avido ſanguen bibit ore;
 Sanguinis inque locum protelo impellitur humor
 Noxius, inde avidi mox anguis viscera complet.
 Quod ſuperest, humeris ventosa cucurbita noſtris
 Impoſita eſt, ardens fax intro eſt condita poſtquam
 Cereæ: deſubito protractæ grandia carnis
 Augmina turſerunt; caro porro hæc ſanguine mixtum
 Continuo humorem tetrum de vertice traxit.
 Diditur hic alias poſtilla in corpori parteis;
 Hunc ubi diſ natura ſupat deinde, & facit are.
 Arte vacfactum eſt ægrum poſtquam caput illa;
 Scilicet ardoris violenti pauſa ſecuta eſt,
 Priſca valetudo rediit, triſtiſque gravedo
 Abſceſſit capiti, languentibus ægror ocellis.
 Denique convalui auxilio medicaminis huius,
 Quod quondam, ut perhibent, ſolers tum repperit uſus,
 Cum primum varias agitando extunderet arteis.
 Hoc pacto matrem naturam ars filia vicit.
 At vos, queis inter ſuetum eſt sæpe eſſe puellas,
 Hoc, Juvenes, ſapite exemplo, & me diſcite talem
 Intempertivi obſequii ſolviffe luelam.

AD

CAROLUM PERERIUM

ODE.

Non vides quanto populi frequentes,
 Docte PERERI, ſonare plauſu,
 Aureo dulces ſimul impulifti
 Pectine nervos?

Audit,

[11]

Audit, & ſecum meditata Clio
 Reddit auditum ſtudioſa carmen;
 Arduæ circum tremuere ſummo
 Vertice laurus.
 Reddit umbroſis recubans viretis
 Ultimæ ſeu qui tenet arva Calpes,
 Sive qui potat vaga fabuloſi
 Flumina Gangis.
 Te decet molles levium ſuſurros
 Virginum grato celebrare cantu,
 Rapta vel furtim male pertinaci
 Præmia nymphæ.
 Te decet Bacchi cyathos, & ipſum
 Pampino Bacchum viridi nitentem:
 Te decet Faunos numeris procaces
 Dicere parvis.
 Mox tibi verſu procul audiendo
 Maximus rerum LUDOVIX canetur,
 Fortibus quandoque ruens Iberum
 Contudit armis
 Vana jaſtantem; ſimul ut perenni
 Laurea victor caput impedivit,
 Dexteram mox & decorabit almæ
 Termes olivæ.
 Concines curas vigiles IULI,
 Ut rebellantum vario tumultu
 Altior cæcas oculo irretorto
 Deſpiciat iras.
 Interim ſolis reſupinus antris,
 Hic ubi lymphæ ſaliunt fugaces,
 Dividiſ glaucis operoſa lentus
 Carmina Nymphis.
 Lesbio chordas feriens loquaces
 Mutuum plectro modularis ignem
 Quo tuum patris ARAMINTHA pectus
 Urit ocellis.

Vos

[12]

Vos quibus primum recinis sagittis
Contigit natus Veneris marinæ,
Nunc ut æterno ligat irrefecta
Copula nexu.
Candidæ dicis joca tum puellæ,
Tum refers frontis nitidæ lepores,
Quoque nascentis Venus os decorum
Nectare tinxit.
Hanc levis circum volitat Juventas;
Pressit ut molli semel arva planta,
Protinus flores & odora fundit
Gramina tellus.
Sive festivas agitans choreas
Ad lyram comitis comes it puellis,
Sive frigenti fluvio venustos
Abluit artus.
Talis Idæis stetit alma campis
Ante pastorem Phrygium Dione,
Cum Deæ late stupere nudum
Gargara pectus;
Talis & pura face Noctiluca
Emicans ignes superat minores,
Spumeo postquam retulit serenos
Æquore vultus.
O meo longos utinam per annos
Plebe secreto liceat sodali,
Liberam curis, ARAMINTHA, tecum
Ducere vitam:
Post ubi seri revolutus ævi
Terminus mortem tulerit propinquam,
Una vos mergat gelidos eodem
Hora sepulcro.

A D

[13]

A D

ANTONIUM HALLÆUM,
POËTAM LAUREATUM.

O D E.

Ut carmina sua in unum colligat & in lucem edat.

DUM nuper altis Castaliæ jugis
Incertus erro, me bifido pater
De monte Latous paventem
Vocibus alloquitur canoris:

Quicumque nostrum sollicita prece
Ambit favorem, non simul occupat:
Plerumque fallaces caduca

In zephyros abiere vota,
Unus repulsæ nescius asperæ
Haud unquam iniquum sensit Apollinem
HALLÆUS, haud hunc fisa nostris
Numinibus sua spes fefellit:

Seu grandiori carmine concinens
Heroas altum tollit in æthera,
Seu quærit argutos jocosa
Musa modos levioire plectro.

Ast ille blanda quæ retulit prece
Obliviosus præmia negligit,
Nulloque non partam labore
Progeniem exposuisse gaudet.

Cur non remotæ splendida providus
Æternitati munera consecrat,
Digesta mansuris reponens
Ordinibus veniens in ævum?

Cumæa vates sic levibus sua
Mandavit olim carmina frondibus,
Frondesque custodes futuri
Ludibrium dedit esse ventis.

In-

Injuriōsi vah sceleris pudet ;
 Errare Musam perfidus hospitam
 In mille partes dissipatam
 Per varios finit angiportus.
 Majore non se crimine polluit
 Ææa solvens littore Colchico,
 Cum fratris artus dividentem
 Barbarici stupere fluctus:
 Remis adurgens at lacerum pater
 Corpus profusis non sine fletibus
 Collegit, & veram paterna
 Promeruit pietate laudem.

AD LUDOVICUM XIV.

*Quum fœdus iceret cum Philippo IV. Hispaniarum Rege,
 & MARIAM-THERASIAM ipsius filiam duceret,*

O D E.

CEu fœtus atro turbine spumeis
 Cum frangit Auster pumicibus mare,
 Et multa nautas apprecatos
 Vorticibus quatit æstuosis,
 Totoque differt æquore carbasa,
 Si forte falsis involitans vadis
 Fulgore collucens benigno
 Oebalidum vagus ignis ardet;
 Cessere venti protinus, impotens
 Fluctus recumbit, Sol nitet aureus,
 Cœlumque nimbis occupatum
 Lumine purpureo recludit.
 Sic non timentem funera Galliam
 Postquam feroci sævus Iberiæ
 In bella commisit recenti
 Sanguine Mars, jaculisque gaudens;

Gen.

Gentesque, longa militia, feras
 Fortuna tristes cæca per exitus
 Attrivit, & seros in annos
 Lethiferum retulit duellum;
 Auro tumentis littoribus Tagi
 Fulsit nitenti pulchrior Hespero
 MARIA, funestas cruentæ
 Mox tenebras domitura noctis.
 Hanc, gentis o Rex optime Celticæ,
 Blandi sagittis icte Cupidinis,
 Tuque, ANNA mater, sæpe vobis
 Sollicitis precibus petitam,
 Deducit Hymen alite prospero;
 Jam tæda luxit splendida pronubæ
 Junonis, & pictum MARIÆ
 Implicuit Venus alma Cestum.
 Huic pax eunti, grataque Faustitas,
 Fraudisque vindex cana Fides præit,
 Et ruris ostentans honores
 Frugifero Dea læta cornu.
 Ergo scelestam concutiens facem,
 Et viperinis horrida crinibus,
 Quam Luctus & Curæ sequuntur,
 Tartareas repetit latebras
 Frenuens Erinnyis, tincta cruoribus
 Jam tela condit miles: & aspera
 Rubigo, lento dente rodens,
 Mox residues gladios retundet.
 Non officinis Mulciber igneis
 Formare Marti spicula Thracio
 Addet, nec incudi sonoræ
 Impositus crepitabit ensis.
 Sed quisque lentus collibus in suis
 Soles amabit condere lucidos,
 Gaudensque villosos comatis
 Velleribus spoliabit agnos.

Illum

Illum juvabit ducere languida
 Obliviosi pocula Liberi,
 Myrto coronatum nitentes
 Aut oleâ viridi capillos.
 Pars sedularum Pieridum cliens
 Mentem decoris artibus excolet,
 Phœbique cultus promovebit.
 Te, LUDOVIX, pater atque princeps,
 Seu jura mavis ponere gentibus
 Nuper subactis, capta vel oppida
 Lustrare victor, seu benignis
 Imperiis fera corda mulces;
 Sive ordinato milite ludicram
 Miscere pugnam; sive animum juvat
 Rebus fatigatum gerendis
 Innocuo recreare ludo;
 Diri pavebunt litora Bosphori,
 Ingens pavebit Memphis, & abditos
 Conversus ad fontes fugacem
 Nilus agens trepidabit undam;
 Ne luctuosam, non patiens moræ,
 Sibi catenam ductus adorea
 Majore nectas, vel locare
 Tecta velis Solymæ jacentis.
 Commissa regni JULIUS interim
 Componet alta mente negotia,
 Curaque firmabit sagaci
 Quam populis peperit quietem:
 Nuper duellis dictus amicior,
 Quam pacis almæ dulcibus otiiis,
 Mavorte nunc gaudet sepulto
 Perpetuum pepigisse fœdus.
 Leges severæ virginis arbiter
 Appendet æqua lance LAMONIUS,
 Precesque despectans nocentum
 Rite scelus gladio recider.

Non

Non hæc futuris acta nepotibus
 Discenda carpant dentibus invidæ
 Obliviones, nec vetustis
 Evaleant abolere fastis:
 Ast eruditis carminibus potens
 Arcere letho Mercurialium
 Manus virorum tot labores
 In veniens celebrabit ævum.
 Me præter omnes Æolia fide
 Mirans videbit Gallia nobilem,
 Lauroque velatum recondam
 Sydereos caput inter ignes.

IN LUDOVICUM XIV.

O D E.

Venturis meditans retro nepotibus
 Quæsitam meritis prodere gloriam
 Ingens imperiis qui sacra mitibus
 Princeps Lilia temperat;
 Nunc vel nobilium Pyramidum situ
 Augusto monumentum extruit altius;
 Nunc vultus Pario marmore regio
 Ducunt artifices manus.
 Descendens patrio protinus æthere
 Pallas, Dardaniam qualis ad Ilion
 Peliden adiit, atque salubribus
 Juvit consiliis ducem:
 Talis BORBONIDÆ post caput adstitit.
 Heu vano nimium credule marmori,
 Quid tentas studio, dixit, inutili
 Nomen transdere posteris?
 Quæ tu cunque paras, hora volucris
 Absumet spatii; nec pote lividum
 Dentem præcipitis frangere Temporis
 Mortales hominum manus.

B

Magni

Magni nata Jovis sola volubiles
 Frænat Calliope Temporis impetus,
 Quod nigro Lachæsis stamine texuit,
 Audet Musa retexere.
 Et mox illa tuis parta laboribus,
 Si non Musa vetat, laurea decolor
 Arescet moriens, palmaque languidis
 Amittet follis decus.
 Prudens Cæcropiæ consilium Dææ
 Attentis LUDOVIX combibit auribus,
 Et neglecta sacræ culmina Phocidos
 Biando lumine respicit.
 Tum lautos biando vertice marcidas
 Æternis videas surgere frondibus.
 Largo virgineum flumine proluit
 Montem Pegaleus latex.
 Jam gaudent residens sumere tibus
 Vates Castaliis haustibus uvidi,
 Et prisca reparant munera carminis
 In laudes, LUDOVIX, tuas.
 Hic vel Mæoniis cantibus aspera
 Fastus edomitos narrat Iberiæ,
 Vel pronos humilem flumine supplici
 Rhentum volvere vortices.
 Læsum sacrilego crimine principem, &
 Cynæi furias ausaque militis
 Hic tristes elegos fingere doctior
 Argutis queritur modis.
 Mox & te, Cavarum pulcher Avenio,
 Auratis iterum floride Liliis,
 Et Romana diu vincula perpeti
 Iratum Rhodanum canit.
 Versus ille truces fundere nobiles,
 Quales bile tumens Archilochus vibrat,
 Turbati Lotharum fœderis arguit.
 At me tempora floribus

Vincitum purpureis, qua pater aggeres
 Lente Cæsareos Olena perfluit,
 Gaudentem numeris & fide Lesbia,
 Augusti tenuem juvat
 Lusus innocuos dicere principis,
 Et ni Parca meos fregerit impetus,
 Olim BORBONIDÆ (nam bonus annuit)
 Dicam fors quoque prælia.
 Servabunt numeros, nostraque concinent
 Mistæ cum pueris carmina virgines,
 Formoso dociles reddere pollice
 Cantus vatis HUE TII.

H Y M N U S,
 QUEM CLERUS CADOMENSIS
 AD S. VIRGINIS
 YVRANDÆÆ

SACELLUM SOLENNITER PROCEDENS
 canere consuevit.

AD DIVAM VIRGINEM
 YVRANDÆAM SERVATRICEM

Hymnus.

DIVA Servatrix, bona Bajocani
 Litoris custos, prece quæ rogantum
 Non gravis flecti, mala Cadomæis
 Finibus arces:
 En cliens sacras tuus hic ad aras
 Accidit pronus; meritosque, dulcem
 Increpans plectro citharam sonante,
 Dicit honores.

Horruit scoto tua nactus arvo
 Pastor effossa simulacra terra,
 Agna cui simplex præiit, latentis
 Numinis index.

Ungula terram fodiens bifulca
 Ferrur obstipos tenuisse vultus,
 Immemor prolis pecus, & virentis
 Immemor herbæ.

Proximis circum studiosa campis
 Advolat pubes, rigidus colono
 Ponitur vomis, labefacta linoquit
 Jugera fossor.

Inter arentes resupina glebas,
 Lata contingi manibus piorum,
 Floribus spargi patiens odoris,
 Prostat Imago.

At bonus tandem precibus sacerdos
 Rite conceptis, sterili jacentem
 Erigit campo, stabilique cellam
 Sede reponit.

Hic tuo pendent capiti coronæ,
 Hic tuas flammis adolemus aras,
 Hic odoratos tibi dant Sabæa
 Thura vapores.

Tu maris fluctus rapidos Britannia
 Nutibus reatrix moderaris æquis,
 Te procul summa pavidus salutat
 Puppe magister.

Litoris compos, dubiisque nauta
 Te canit functus pelagi periculis,
 Et coronatos decorat tabella
 Supplice postes.

Aridos per te rigat imber agros;
 Imminens per te segetes adultas
 Transvolat grando, tumidisque nutat
 Merges aristis.

Ad

Ad tuum tendens pia turba limen
 Oppidis exit bene feriatis,
 Frigidæ vernis ubi mitigantur
 Solibus auræ.

Floridis lente spatiata campis
 Pompa dum procedit, iō triumphæ
 Plebs canit, læto præit ore sacra
 Verba Sacerdos.

Luciæ valles, DOVERÆQUE circum
 Adsonant saltus, viridesque ripæ,
 Rupibus longe latitans marinis
 Adsonat Echo.

Flamines festis operantur aris:
 Hinc & hinc supplex tibi languidorum
 Turba procumbens onerat piis al-
 taria donis.

Tu salutari relevas jacentum
 Arte languores, oculis tenebras
 Pellis indulgens, & iniqua linguæ
 Vincla resolvit.

Per recurrentes revoluta febris
 Temporum lapsus, fugit inquietis
 Protinus membris, fugit æstuanti
 Aëre pestis.

O Parens Nati, sobolesque Patris,
 Sive stellato dominaris axi
 Altior nimbis, & agente menses
 Altior astro;

Seu polo lapsam mage Cadomæa
 Arva delectant, resonumque propter
 Litus aurato tua templa gaudes
 Visere curru:

Nostra devoto tibi cunque Musa
 Serviet plectro, tibi nostra serpet
 Laurus æternis veneranda circum
 Tempora ramis.

B 3

Laus

Laus Deum vivax maneat Parentem;
 Natus extento celebretur ævo;
 Spiritus longis adolescat ingens
 Gloria sacris.

S A L.

AD ILLUSTRISSIMUM
 CAROLUM SANCTAMAURÆUM,

D U C E M

MONTAUSERIUM,
 SERENISSIMI DELPHINI
 INSTITUTIONI PRÆFECTUM.

Ancipitis Jani reduces venere Calenda:
 Per medias fervent munera missa vias,
 Nos tibi, MONTOSIDE, nostris decus addite rebus,
 Offerimus purum, munera parva, Salem.
 Tu facili cape dona manu; tenuis quoque magnos
 Mica salis fertur pacificasse Deos.
 Sic tibi se docilem præstet regalis alumnus,
 Attentaque tuos combibat aure sales.

S A L.

AB Sale principium rebus, salis omnia plena,
 Æquoraque, & tellus ingens, atque humidus ær.
 Nam quis occultas naturæ accedere partes
 Est labor, & cæcis dissolvere corpora flammis,
 Inque suum partes rursus componere corpus,
 Terna subesse ferunt mistis primordia rebus,
 Mercurii liquidos latices, & sulfura viva,
 Fecundosque sales, Oculis variata colores

Sulfura

Sulfura subjiciunt, flammisque alimenta ministrant:
 Mobilis in crassam distendit singula molem
 Corpora Mercurius: firma compage revinxit
 Vis salis, incerto fluerent ne turbida lapsu.
 Divite sal etiam disperfit provida dextra,
 Cum varios primum rebus natura saporès
 Adderet, & nostris condiret fercula mensis.
 Sal adeo est quodcunque sapit, quodcunque palatum
 Afficit; expressum seu pingui ab arundine sacchar,
 Collectumve jugis nectar florentis Hymetti
 Affluat ad molles blanda dulcedine sensus,
 Absinthii sive ora gravis contristet amaror.
 At genus haud unum salis est: sal fossile terra
 Eruitur; puteis liquidum sal manat ab altis;
 In sal spumantes concrefcunt æquoris undæ,
 Aut cum suppositis fervescunt ignibus, aut cum
 Littoreæ rapido siccantur sole lacunæ.
 Sal Ammoniacas inter succrescit arenas.
 Sal injecta facit carbonibus unda columnis.
 Sal quoque in immensas procero vertice moles
 Tollitur; excisis falsa de rupe columnis
 Condit Arabs solidas Euphratis ad ostia turres.
 Præterea geminum sal deprendere Magistri
 Rebus inhærescens; nativa hoc mole deorsum
 Vergit, at in tenues illud flamma evehit auras.
 Denique conferto rubrum sale constat alumen,
 Calchantumque virens futoribus utile, nec non
 Effossum Parii nitrum tellure Canopi,
 Et quæ plura meo non est comprehendere versu.
 Vis salibus genitalis inest, vivosque calores
 Segnibus in Venerem dant falsamenta maritis.
 Hinc ad res Veneris pronos dixere salaces.
 Ipsa Venus quippe orta salo est, emerfaque salis
 Fluctibus, aurata vehitur super æquora concha.
 Ergo salis quondam geniales respuit esus
 Turba Paraxtoniæ sacris operata Juvençæ.
 Sal fortunatas largo beat ubere terras,

B 4

Arvaque

Arvaque respondent avidis sale foeta colonis.
 Quod simul excessit gremio telluris amicae,
 Fluctibus elutum crebris, atque ignibus haustum,
 Languescunt glebae steriles, viduataque tellus
 Tristi pigra jacet senio, & sal moeret ademtum.
 Ast inopem summa miseratus Juppiter arce
 Optatum effaeto sensim sal corpore miscet.
 Tum recreata novo turget praegnans sale tellus.
 Hinc vegetum plantis robur venit, inde feraces
 Concipiunt succos, & pingua pabula sylvae,
 Et tandem laetis onerat se fructibus arbos,
 Atque insperatas menses miratur arator.
 Ipse fovens molles clausis praesepibus agnos,
 Matribus upilio sparsas sale praebuit herbas;
 Praebuit, atque nova vidit pinguedine laetos
 In spem lanigeræ foetus adolescere gentis,
 Plenaque spumanti retulit mulctralia lacte.
 Salsa ministratur fugientibus esca columbis:
 Hinc redit actus amor patriæ, campisque relictis
 Spreta coloratae revolant ad tecta volucres.
 Quod nisi quaeritas lauta ad convivia carnes
 Rerum serva memor salisugine maceret acri,
 Aestus, & humentis flatus vitiaverit Austri.
 Sal quippe integrum servat post ultima corpus
 Funera, restringens in tabem deflua membra.
 Esse datam immundis animam quoque pro sale porcis
 Scite Chrysippus docuit. Sale fictile vitrum
 Cogitur: accensis Venetum fornacibus ardens
 Crystallus sale concrevit; liquefactaque saxa,
 Et fusos cineres dono salis excoquit ignis.
 Foeda novo labes si forte inolevit amictu,
 Vi salis eluitur; sordes velamina ponunt,
 Et sale in antiquum fulgent reparata nitorem.
 Non alia pollet vi parvæ terra Cimoli,
 Quæque Brigantino petitur de vertice creta,
 Priscave Tymphaicum celebrat quod Græcia gypsum,
 Et sapo, & foedas purgant quæ smegmata vestes.

Quid

Quid duram glaciem, pressique coagula lactis
 Commorem, salibus tantum constricta refusis?
 Quid vesco sale perfossas in littore cautes?
 Pulsa fames, & amor salibus revocatur edendi,
 Obtusoque abeunt fastidia longa palato.
 Sal Superis gratum, Superum sale frangitur ira,
 Et parco sale lustralis contingitur unda.
 Ipse puer sacros subiturus vertice fontes
 Rite pio sal sincerum prius excipit ore.
 Olim etiam festas Divum stans victima ad aras,
 Et tinctura sacros effuso sanguine cultros,
 Candenti salsas fruges cervice recepit:
 Et segeti metuens micæ salientis honorem,
 Farraque frugiferæ Cereri dedit horna colonus.
 Signatur salibus princeps sapientia puris,
 Explorat dubios longus salis esus amicos:
 Toto etiam voluit quondam tentare medimno,
 Lælius, optasset si quem sibi cautus amicum.
 Inde fit ut lætis effundens lucida mensis
 Concha sales positos, tristes praenuntiet iras,
 Occultosque dolos, cæcasque tumescere lites.
 Temporibus sale constabant stipendia priscis:
 Hinc & perpetuum meruere salaria nomen.
 Priscæ Romulidum plebi, sanctoque Senatu
 Munera grata salis donavit Marcius Ancus;
 Primus & instituit populo gaudente salinas.
 Cara annona salis: magna mercede coemptum
 Sal fiscum gaza regalem ditat opima:
 Provenit haud terris sed enim praestantius ullis,
 Quam quod Santonici collectum ad littoris oram
 Usque peregrinae referunt trans æquora puppes.
 Denique non nostros commendat gratia mores,
 Ni fuerint tincti salibus; frigemus inepti,
 Nullus honos, nulla ingrato sermone venustas:
 Aversæ fugiunt Charites, Venus ipsa facessit,
 Et formosa suum praeccludit Nympha cubile.
 Adde sales verbis, ô non indocte Poëta,

B 5

Si

Si quis mansurō speras de carmine famam,
Sed nostra hoc tandem consistat limite Musa,
Ne forte insulsum pariat fastidia carmen.

A D

JOHANNEM CAPELANUM.

Dulcia nobilibus dum dividis otia curis,
Claraque magnanima committis facta Puella
Postera mansuris quondam per secula chartis,
Et numeris divinum æquas, CAPELANE, Maronem:
Hic ego deductum meditor tibi dicere carmen,
Et longam sermone viam narrare pedestri;
Hinc porro majora parans, & versibus olim
Inde aliis, aliisque, tuos dicturus honores.
Contractam facilis nunc ergo exporrige frontem,
Si magnis animum fas est avertere rebus;
Hibernisque procul subjecta Trionibus arva
Decurre, & mecum casus evolve marinos,
Queis me olim primo pubescens flore juventus
Factatum implicuit, propius spectare volentem
Didia CHRISTINÆ variis miracula terris:
CHRISTINÆ, qua tum scepro spectabilis aureo,
Ibat, & attentis dicebat jura Suiæ;
At nunc scepra super, fragilesque evecta coronas,
Ardua magnorum superat fastigia Regum.

ITER SUEVICUM.

Egressum Cadomo primum me Diva recepit.
Honflorium tendo hinc: ægrum lectica ferebat:
Lecticam manni, quorum hic pravo pede fultus
Dum titubat, mediis effusum exponit arenis.
Tum pransi lembo ferimur, serique subimus
Urbem Francisci Regis de nomine dictam.

Hic

Hic expectantes dum pontus & aura faverent,
Otia consumunt miseros, nec tædia possunt
Aut Arx, aut validi spectando fallere muri.
Undecima tandem panduntur carbasa luce:
Ridentur comites, quos nausea crebra fatigat,
Non ego; jejuni nam vix depellere ventris
Salsa carne famem possum, vel pane recocto.
Vicina interea nobis dum ripa propinquat
Caletum, geminas Anglorum e littore puppes
Prospicimus plenis ad nos contendere velis.
Obstupuit navis rector de gente Batava;
Arma huc, arma, Viri, inclamat, tormenta parentur,
Vela legant nautæ, belli det buccina signum.
O quam me tantis stolidum objecisse periclis
Pœnituit! scabrum accingor rubigine ferrum,
Spem simulans, tacitum condens sub corde dolorem.
Ut propius venere Angli, de puppe magister
Compellat nostros. Unde, & quo? cuncta petenti
Ordine rettulimus; conversa is vela retorfit.
Navim quarta dies Zelandis appulit oris;
Præbuit optatos venienti Veria portus.
Hinc Middelburgum rapimur, sed postera rursus
Nos pelago lux commisit; tua mœnia læti,
Dordrechtum, intramus, quibus infestos procul hostes
Et Mosa & Vahalis revolutis fluctibus arcent.
Æneus ad Roteram mihi post spectatur Erasmus:
Tum Delphi, & Delphis monumenta insignia gentis
Nassaviæ. Tectum Leidæ dein præbuit hospes.
Grata sequens multum nobis aurora virorum
Primos nosse dedit, Phœbi qui sacra frequentant,
Heinsium, & Salmasium, duo maxima Pindi
Lumina: tum Medicum mihi cernitur Amphitheatrum,
Bibliotheca, Hortus peregrinis consitus herbis,
Et quæ multa solet lentus spectare viator.
Visitur hinc nobis prælorum Harlema reperitrix,
Et Pelusiaco ferratæ in littore classis.
Amstelodamensi demum succedimus urbi.

Occurrunt

Occurrunt lato testantes gaudia vultu
 Unanimes socii, Bochartus, Vossius, atque
 Complures alii, (tacitos quos Musa relinquit)
 Extremos una cupidi lustrare Suëcos.
 Suave extra patriam veteris complexus amici.
 Altera lux spectare dedit mysteria gentis
 Judææ, ductor Judæus & ipse Manasses.
 Ast adducta secans dirus præputia culter
 Dum tenet attentum, & sublatis infania ritus,
 Ecce abaci, quo inferre pii cælestia Mosis
 Scripta solent, summo extremum limbum pede tango
 Inscius; insueto cuncti fremuere tumultu:
 Diffugio veritus damnosi vulnera cultri.
 Inde Ultrajectum petimus; Schurmannia nobis
 Anna salutatur, muliebris gloria sexus.
 Artis opus miror varium, quod mente sagaci,
 Aut manibus doctis virgo ingeniosa paravit.
 Hinc discedentes exceptit paupere tecto,
 Et paleam fessis Elspettum præbuit hornam,
 Rusticaque ilignas onerarunt fercula lances.
 Carpimus inde viam Suvollæ ad mœnia, longos
 Hic ubi Kempensis sancte traduxerat annos;
 Nunc etiam extincti vivit quoque fama superstes.
 Mox Hardenbergam sera sub nocte venimus:
 Ridetur nobis veteri mos ductus ab ævo.
 Quippe ubi deligitur revoluto tempore Consul,
 Barbatî circa mensam statuuntur acernam,
 Hispidaque imponunt attenti menta Quirites:
 Porrigitur series barbarum desuper ingens.
 Bestia, pes, mordax, sueta inter crescere sordes,
 Ponitur in medio; tum cujus, numine Divûm,
 Barbam adiit, festo huic gratantur murmure Patres,
 Atque celebratur subjecta per oppida Consul.
 Proxima Vespaliæ pergentibus arva tenentur:
 Gens procerâ, aliis toto capite altior extat;
 Ætnæis olim dicas e fratribus ortam.
 Ingens huc peregre venientes excipit aula,
 Ignis

Ignis ubi in medio; circum capræque, bovesque,
 Immundique fues, & non sine matribus agni;
 Et pater, & fusi passim cum conjugè nari.
 Si vitam hanc mortale genus regnante trahebat
 Saturno, ut perhibent, placeant mihi ferrea sæcla.
 Hic steriles campi, atque humiles ingrata myricas
 Innumeris tellus fert dulcia pabula porcis;
 Quos neque vel torrere veru, aut ferventibus ollis
 Incoquere, at summi suspensos fornice tecti,
 Aère ficcatos, fumo durare suëti
 Simplicibus totos gaudent imponere mensis.
 Hinc procul attollit turratum Brema cacumen;
 Erigimur studio, claramque adipiscimur urbem.
 Continuo lassus consterni mando cubile:
 Plumæ subjecta est mihi culcitra, culcitra rursus
 Est injecta super; nec longum tempus, & ingens
 Prorumpit toto fufus de corpore sudor,
 Nec potui dulces tali sub tegmine somnos
 Ducere; nox infesta mihi prorsus fuit illa.
 Orta dies demum est dilectæ nigra catellæ:
 Præcipiti nam decursu dum currus arenis
 Volvitur in planis, oblitit curva morantem
 Hanc rota; sed calido per noctem infossa fimeto,
 Et saturata oleo, priscum est indepta vigorem.
 Hospitium nobis dein Septem-claustra dederunt;
 Virginibus quondam sanctis florens domus; at nunc
 Porticibus vacuis de multis quinque supersunt,
 Collapsæque ruunt ædes, ac limina Divûm,
 Postquam Lutherus nova sacra his intulit oris.
 Proh, quæ Boxtudæ nos dein fortuna manebat!
 Hic matrona potens, pulchra comitata puella,
 Occurrit: Miles formosa in virgine fixus
 Usque premit latus, & passim sectatur euntem.
 Hanc dum Bochartus prisca cum matre salutat,
 Festivisque avidas implet sermonibus aures,
 Incensus miles, venasque inflatus Iaccho,
 Ut solitum, insontem Bochartum ad prælia poscit,
 Et

Et vix composito junxerunt scedere dextras,
 Orta luce vagum cymba prætervehor Albim,
 Hamburgique alacris tandem vestigia figo.
 Hic picturatos in vestimenta tapetas
 Induitur populus; camposque, urbesque videres
 Infratis gestari humeris: Junonius ales
 Talia non varia pandit spectacula cauda,
 Nec tot in imbrifera pinguntur nube colores.
 Hinc languens recta Slesvici ad mœnia tendo;
 Archaicos agro sternit Gottorpia lectos.
 Bis senas lucas me detinere volentem
 Illic antiqua signata volumina dextra,
 Et longis splendens cellis pretiosa supellex,
 Barbaraque emensus Persarum Olearius arva,
 Atque frequens mihi Cimbrorum cum Principe sermo.
 Hinc pene egressis cari præcordia bilis
 Invasit focii; verum Haderslevia crebro
 Sanatum vomitu vidit sub lumina prima.
 Balthica jamque suos ostendunt æquora fluctus:
 Provehimur pelago, & Cimbrorum linquimus oras.
 Haud procul in tumido apparet Fionia ponto:
 Pingue solum exupero, frigentique imbre madentem
 Excepit mediis fundata Otthonia terris.
 At dum clausa tenet per noctem lumina somnus,
 Subripuit nostras gens insidiosa lacernas:
 Digredior tristis, pluvioque obnoxius Austro.
 Niburgo potimur nocturni, ubi regia pellex
 Clausa latet tenebris, & cæco carcere, postquam
 Lurida regali contrivit toxica mensæ;
 Dignior infami tetro pro crimine morte.
 Est in conspectu diyes Zelandia contra
 Insula; nos illuc ventis & remige puppis
 Acta vehens, vix subduxit venientibus Euris,
 Alteraque ad scopulos pene est illisa latentes
 Pone sequens: canas illic Meleagrides alas
 Pandunt, insuetumque canes dant gutture murmur.
 Illic corporibus videas permista luporum

Robore

Robore ferali pendentia corpora furum,
 Quam multa autumnopendent ex arbore mala.
 Infixos trabibus subter mirabere cultros
 Ægrorum manibus, quos olim stipite si qui
 Incauti rapient, languentum corpore morbus
 Cedet, si qua fides; rapientum in viscera serper.
 Obvia currentes sistit Roschildia, condens
 Marmoreis tumulis Danorum corpora Regum.
 Protinus excelsis spectabilis Hafnia muris
 Surgentem ostentat turrim super æthera, cujus
 Aërium possit currus superare cacumen,
 Acclivi ascensu, non structis ordine scalis.
 Admissis ferimur bigis, curruque citato,
 Atque in regifica lasti consedimus urbe.
 Postquam membra quies recreavit, proxima regem
 Visere cura fuit; spatiosa sistor in aula;
 Utque parum visu valeo, specularia promo,
 Et Regem vitreis prospectans orbibus utor.
 Haud tulit hanc speciem Princeps, mihi jamque parabat
 Vincula bile tumens; fugio, portusque relinquo.
 Fluctibus in mediis angusta occurrit Huena,
 Astris sacra olim, & cælestibus inclyta curis;
 Nunc pisces tantum solers captare marinos.
 Huc feror, & viridi superato colle, Tychonis
 Dilapsas ædes veneror, pretiosaque fletu
 Rudera conspergo, & rursus do carbasa ventis.
 In medio exoritur tempestas turbida cursu.
 Horremus pavidi; vixque uvida membra quiete
 Excipiens tandem fovet Helsenuria portu.
 Æquoreo me subductum fortuna periculo
 Pene alio merfit; nam dum munimina spectans
 Cronemburgi obeo, fossam prope labor in imam.
 Quam varii impendent peregrinis undique casus!
 Tranquillam in patria potuit qui ducere vitam,
 Liquerit hic dulces numquam me auctore penates.
 Inde sinum vento frustra luctante Codanum
 Trajicimus: nobis apponit sedulus hospes

Sal-

Salgama sparsa croco; Gothico hæc sapit esca palato,
 Tum zytho, atque ovis incoctas oggerit offas,
 Et vino, atque uvis ficcatis quas clara Corinthus,
 Et crustis pilo tunsis, & olentibus herbis,
 Incretum his piper acre, & odorum caryophyllum,
 Et coriandra simul, tum zinziber, atque sinapi,
 Sacchar, mella, oleum, marathrum, flavumque butyrum,
 Non alias Hecaten atris sub sedibus Orci
 Crediderim libasse dapes; tristisque noverca
 Non alios miscet privigni in funera succos.
 Ergo venenatas impransu liquimus escas.
 Nocturni ire viam perreximus, atque diurni.
 Pulvereos solvit valida Helmæstadia currus,
 Inde referre pedem, patriasque revisere terras.
 Cogitur, & flentes ulro amplexatus amicos
 Vossius abscedit; sic littera missa jubebat.
 Ingredimur crebra nigrantes abiete silvas,
 Visigothis notas sedes; sitientibus illi
 Hydromeli apponunt, & pistam rite farinam
 Exiguo sale contingunt, parcoque cumino
 Appensam fumi durant, ac lumina solis.
 Hanc frustra impacto tentaris cadere cultro,
 Viribus at durum tuditem super incute totis
 Scanduntur celsæ rupes, Smalandica terra,
 Vetterique latus sinuosum littus obimus.
 Dat nobis illic servus risusque, jocosque,
 Dum summo curru stans, nocturnoque galero
 Tectus, Davidicos attentus concinit hymnos
 Arguti numeris constrictos arte Maroti,
 Claudini & rauco corrumpit gutture cantus.
 Mox datur Ostrogothum scabros attingere fines:
 Aspera gens victu, pelles induta ferinas;
 Membra situ livent, & adusti frigore vultus;
 Præcingunt matrum villosæ tempora mitra.
 Vectores illic succussant stridula plaustra.
 Dant requiem longis constructa mapalia truncis;
 Constratum viridi florescit cespite culmen,
 Quo

Quo pastum teneræ scandunt de more bidentes.
 Desuper admittunt angusta foramina lucem,
 Haud secus ac Romæ tenuit quas Terminus ædes.
 Quinquaginta intus lecti, queis sternitur hospes,
 Et pater, & conjux, positique in stramine vernæ.
 Hinc loti egressus causa sub nocte silenti,
 Regredior, primumque ratus subiisse cubile,
 Quo socius molli laxabat membra quiete,
 Altum proflanti vetulæ de pectore somnum
 Inscius accubui, laterique jacentis adhæsi.
 O quales movit veniens aurora cachinnos!
 Dant gratam ingentes pinus abeuntibus umbram.
 Tum nos Lincopiæ nox opprimit; Olaus illinc,
 Et Magnus Magno est ortus cum fratre Johannes.
 Norcopiam tendunt currus; hic ærea lamna
 Cuditur, hic grandem signant ex ære monetam,
 Longaque deductum tenuant in fila orichalcum.
 Illa merce premens externus navita puppes,
 In patrias quæsitæ refert compendia terras.
 Proxima Nicopiæ statio, gratissima sedes
 Matris Reginæ, postquam est orbata marito,
 Carpitur atque illic tristi Leonora senecta.
 Hinc fit per scopulos gradientibus obvia Telga,
 Urbs præclara olim, piceis nunc ignibus hausta.
 Rangifer hic stabulis borealis clausa tenetur
 Bestia; multiplici sublimia tempora cornu
 Vallantur; similis vivaci cætera cervo.
 Concretis glacie lacubus, campisque nivosis
 Illa trahas rapit, & volucres prævertitur Euros.
 Pruteno huc quidam veniens de littore, vino
 Invitos torfit, crebris urisitque culullis;
 Me pene incautum vicit vis subdola Bacchi.
 Imposuit longis erroribus Holmia finem.

Inter Aula tumultus Patria desiderio tenetur.

AMPLISSIMUM ORNATISSIMUMQUE
VIRUM
NICOLAUM HEINSIUM.

ERGONE æternis agitemur, HEINSI,
Fluctibus rerum, dubiæque sortis
Aura nos semper malefida cæco
Turbine verset?

Jam satis longos patimur tumultus,
Jam decem Titan reparavit annos,
Vana me postquam patria carentem
Detinet Aula.

Lege non illa Phrygias paciscar
Attali gazas, Asiæque campis
Aurifer quidquid trahit in rubente
Hermus arena.

O ubi molles Cadomi recessus?
Quis mihi longe vetus hinc sodalis
Obviam prodit, reduci que lætus
* Montis acuti. * Montaigu.

Monstrat optatum digito cacumen,
Lusibus quondam loca sacra nostris.
Cum darent certis faciles diebus
Otia Musæ?

O ubi quondam mihi nota pubes,
Atque defessæ juvenum choreis
Olenæ Nymphæ, levibusque rura
Cognita Nymphis?

Illa vitales mihi lucis auras
Præbuit tellus, eadem sepulcro
Ossa componens cineri supremos
Reddat honores.

Sin eas sedes mea fors negarit,
Tum meæ quæram requiem senectæ,
Hic ubi lætas fluit inter * alnos
Frigidus Udo. * Alactum.

Monte qui primum saliens propinquo
Roscidis murmur meditatur antris,
Et coloratos querulo laceffit
Rore pillos.

Mox citas latis vagus esculetis
Colligit lymphas, tumidusque fluctu
Olenam patrem petit, & minaci
Provocat unda.

Annuo fontem celebrans honore
Ludit exultim petulans juvenus:
Virgines adstant, hilarique solvunt
Ora cachinno.

Nec puellares animos voluptas
Sola prolectat; venerantur amnem,
Et fatas circum salices amœnis
Floribus ornant.

Vestit umbrosas rudis herba ripas,
Stagna pellito pede tranat anser,
Piscis incassum saliens tenaci
Ducitur unco.

Inde pastorum resonant cicutæ,
Lucidum tergo gerit agna vellus,
Explicat longum latus inter altas
Vacca genistas.

Ipsè Pan spreto veniens Lycæo,
Sæpe formosam Pityn in remotis
Montibus cantat, sua jam nec illi
Mænala curæ.

Illa præ cunctis mihi ridet ora,
His amem lentus jacuisse ripis,
Floreat inter recubans beati
Ruris odores.

Hinc meo nectam capiti corollas:
 Non mihi quavis placuere flores
 Valle decerpti, neque lectus omni
 Cespitem ramus.

A D

ÆGIDIUM MENAGIUM
 EPISTOLA.

PRolixam tibi, MENAGI iucunde, salutem
 Mittit HUETIADES, agro vix corpore firmus,
 Multo mente minus validus, longaque peresus
 Tristitia, & vigiles volvens sub pectore curas.
 Addictum sed enim Musis invisa fatigant,
 Atque animos alio conferre negotia cogunt,
 Sollicitudine districtum, & mœrore sequaci.
 Præterea (me quippe dolor non unicus angit)
 Seu juvet ingenuas animum exercere per artes;
 Seu genium placare parem, rarisque diebus
 Parca verecundo celebrem convivia Baccho;
 Noxia seu priscae recolens contagia vitæ
 Certum cautus iter, meliori fœdere, carpo;
 Esse domi seu pertæsum est, cupidusque jacentes
 Visere fert animus longe trans æquora terras;
 Quidquid ago, obscenis insons ludibria linguis
 Debeo, & infesto me dente calumnia mordet.
 Naturæ quippe auspiciis prout quisque secutus
 Optatis fertur studiis, aliena reprehendit,
 Infensusque palam reliquis, se amplectitur unum.
 Civica nam queis jura placent & opella forensis,
 Militiam spernunt; contra qui Martia tractant
 Arma, fori strepitus & longa negotia damnant:
 Qui Phœbum, Musasque colit (qualem esse libenter
 Me dederim) summa surgens de luce, disertis
 Immoritur libris, ac cætera ridet ineptus:

Urba-

Urbanum civem & nitidum vir rusticus odit;
 Agrestem urbanus stivam, ac rus garrit olere:
 Quin etiam meretrice nepos infans amica,
 Tetra hominum vibex, & magnum dedecus, audet
 Ipse probare suos, aliorum carpere mores.

Vos mala, MENAGI, nequaquam talia tangunt,
 Ampla Parifiacæ colitis qui mœnia gentis.
 Illic sponte sua sed enim, propriumque secutus
 Arbitrium se quisque regit, nec commoda livor
 Limat transversis oculis, vel dente venenat:
 Illic quisque suas attendit sedulus ad res,
 Negligit alterius: tum si quem forte negoti
 Aut hominum cepit satias, sese ille remotis
 Occultare potest vicis, nec cognitus ulli
 Ducere præteritæ quæsitæ obliviam vitæ.

Atque utinam tali nos munere fata beassent,
 Urbis Cæsareæ cives, Cadmique nepotes,
 Possimus fungi officiis, componere curas
 Ad libitum, nec scurrilis convitia linguæ,
 Aut duri virgam censoris ferre superbam:
 Hæc mihi præ cunctis fuerit gratissima tellus;
 Quæ quoniam non fata sinunt, nec primitus atris
 Mentibus impactas fas est dispellere sordes,
 Has liceat saltem misera proferre querelas
 Conditione super. Tu nostrum commodus audi,
 Atque dole (sic Di tibi dent optata) dolorem.

Prima tribus lustris mihi nondum adoleverat ætas,
 Plagosi nec jam metuebam sceptrum magistri;
 Inde mihi Virtus, illinc damnosa Voluptas
 Adstiterunt, quales in primo limine vitæ
 Viderat Alcides, Cei stat si qua Sophistæ
 Usque fides dictis. Ego magna exempla secutus,
 Sperno Voluptatem, austeram Virtute petita,
 Informo rebus generosum pectus honestis,
 Intendo mentem studiis, antiqua revolve
 Romanis simul, & dictata volumina Grajis,
 Continuans lucem tenebris, lucique tenebras:

C 3

Im.

Immenfos studium fallebat dulce labores.
 Optime MENAG, quosnam mihi carpere fructus
 Hinc licuisse putas? pulchri quæ gratia facti?
 Fabula Cadmæis decantatissima scurris
 Nempe fui; helleboro caput hic purgare meraco
 Me jubet; ille faceta dicax ænigmata solvi
 Postulat, & miserum quæsitis ludit ineptis.
 At me parte alia secreto convenit alter,
 Vir bonus, atque meo qui dulces gesserat olim
 Cum patre amicitias; is tristi serius ore,
 Quid tibi vis, ait, ô juvenum stultissime? quorsum
 Insanam hanc molem librorum infanior ipse
 Congeris, & primos incassum conteris annos?
 An cariola legens veterum monumenta, putas rem
 Crescere posse tibi? num sic eris utilis urbi?
 Utilis & consanguineis? concinnus amicis?
 Mactam dote tibi contingere reris opima
 Squallenti uxorem, & librorum pulvere sædo?
 Non ita; te chartis attentum invadet egestas,
 Ludibrium scurris fies, & mœror amicis.
 Ergo age, dumque licet, sanam catus indue mentem;
 In lucem prodi, paribus colludere gesti;
 Nec minus augenda festines strenuus in re;
 Nummatas sapiens ultro sectare puellas,
 Obsequio, cultuque oris, pexoque capillo,
 Et viduas grato locupletes munere capta.
 Sic ait, attonitumque novo sermone reliquit;
 Haud aliter nudo quam qui pede presserit anguem.
 Nam quid ad hæc rerum vix ullo providus usu
 Sensisset puer? imperium fero credulus, & mox
 Dulcibus abjungor Musis; mihi prima voluptas
 In medios dormire dies, & odoribus ungi
 Cæsariem, & vestes variatis pingere vittis,
 Cessatumque inter formosas ire puellas.
 Vix mihi per spatium vita hæc est acta bimestre,
 Accurrunt ad me noti, fidique sodales;
 Tu, MOTTÆ, venis, qui Phœbo deditus olim

Atque

Atque cliens Musis, primus nunc jura sacerdos
 Cadmææ Themidis (sic Di voluere) gubernas:
 Tu, PALMERI, aderas, quo non præstantior alter
 Et Martis tractare enses, calamosque Minervæ,
 Venisti, ô gaza differtum pectus opima,
 BOCHARTÆ, ætates mentem versate per omnes,
 Perque omnes populos: venisti, docte BRIOSI,
 Tempora Phœbea circum redimite corona:
 Venisti, SAVARI, quo versu sacra Dianæ
 Dicere nulla olim meliorem protulit ætas,
 Nulla vel in feris olim quoque proferet annis:
 Tu reliquos venisti inter fidissimus omnes,
 Candide PRÆMONTI, nostri pars maxima quondam,
 Nunc ingens desiderium, te funere postquam
 Edomitum crudo rapuit vis improba lethi:
 Affuit & mutas agitans VICMANNIUS artes,
 Judicio prudens, mente acer, pectore purus:
 Affuit ante alios ingens MAMBRUNIUS omnes,
 Qui me tunc monitis juvenem formabat amicis,
 Calliopes præcepta sagax, sanctique labores
 Flaviadæ retro venturis proderet sæclis.
 Is me præ reliquis pudibundum incessit amaris
 Opprobriis, vitæ noxas & crimina ponit
 Ante oculos, priscum rectique inspirat amorem:
 Siccine dicebat dudum præclara minatus,
 In vitium te ferre paras, virtute relicta?
 Num tibi desidiæ cordi, nugæque dolosæ?
 Ergo potes cessator, iners, contemptor honesti,
 Ludere discinctos inter, pars magna, nepotes,
 Et turpi, oblitus meliora, litare Vacunæ?
 At non hæc de te dederas promissa, juventam
 Nobilibus Phœbi statuens consumere curis.
 Quod si non omnis cecidit de pectore virtus,
 Excute mollitiem, & vitæ te redde priori.
 Dicenti hæc aderat blandus victor, amicus
 Integer, interpres veteris doctissimus ævi,
 Æmulus ille Ovidi laudum, magnique Maronis,

C 4

Et

Et quo regali Cadomum Doctore superbit,
 HALLÆUS; nostra hic alia de parte reprecens
 Flagitia, ultrici meritum perfudit aceto.
 Haud tulit incussum mens non obtusa pudorem;
 Erubui, & priscas animo conversus ad artes,
 Sedulus amissum satago sarcire labore
 Tempus, & ignavæ reparo dispendia vitæ.
 Tum vero indoctæ redeunt convitia gentis,
 Nec sævo vulgus me rodere dente malignum
 Tempore ab hoc usquam cessat. Pater alme leporum,
 Si vacat, & veteris permittunt scripta Laërti,
 Rem non dissimilem, nec longa est fabula, disce.
 Forte senex nato quondam comitatus asellum
 Ibat agens, aberat vacuo omnis sarcina dorso;
 Quando præteriens quidam non notus, Ineptos,
 Exclamat, pulchrum quibus est sic parcere onagro!
 Audiit, assensitque senex, conscendit in armos
 Ipse prior, lumbis puer insidet, atque ita pergunt.
 Vixque viæ paulum confectum erat, obvius alter
 Occurrens, Pecudi cur ilia rumpitis? inquit,
 Ægre animam trahit, & jamjam sub pondere fessa
 Decidet: id metuens, asinum miseratus onustum,
 Ire senex natum peditem jubet, ipse superstat.
 Tertius adveniens, Ne sic tua commoda captes,
 Dure senex, ast ætatis miserere tenellæ.
 Protinus accipiens convitia sæva benigne,
 Paruit, exiliitque bonus, sudore fluentem
 Apprendit puerum, pecudisque imponit in armos;
 Ipse sequebatur, costasque dolabat aselli.
 Ad primum lapidem venit alter naris aduncæ,
 Hercule non pecudis tibi sunt cædenda flagello
 Tergora, vir bone, sed pueri, qui vectus asello
 Pergit, & effæctum pedibus finit ire parentem.
 Talibus at placidi verbis patientia tandem
 Læsa senis, veras jussit depromere voces:
 Pol miser est hominum quisquis convitia curat:
 Quo pede cæpisti, hoc securus pergere discas.

A D

A D

TEMPE ALNETANA
 ODE.

TIBI Grates, Zephyris hospita tellus,
 Tibi laudes cano, florum sacra mater,
 Tua tandem, tua viso repetito juga cursu.

Studiorum pia nutrix, Parisinos
 Strepitus huc fugienti nemus altum
 Bona præbes, & amica recreatum lavis unda.

Potes acres animi pellere curas;
 Relevas ingenii tædia fessi,
 Simul atra recubantem corylorum tegis umbra.

Mihi robur vegetum læta ministras;
 Tua cum pectoribus ducitur aura,
 Subit intus reparatos juvenilis vigor artus.

Neque fulmen, neque fœdus ruit imber:
 Neque frigus, neque fervens nocet æstas:
 Tua nascens juga Phœbus meliori linit auro.

Tua Musæ faciles antra frequentant:
 Salientum Satyrorum pede pulsos
 Dea colles jaculatrix sinuato quatit arcu.

Per amœnos spatari juvat agros.
 Date lusus, mea Tempe, date somnos,
 Vitrea qua per opacum levis Udo strepit urna;

Novus anni stitit his me tepor oris:
 Neque linquam loca mœrens prius ista,
 Abigat quam Tegeæ glacialis rigor Ursæ,

C S

E L E.

E L E G I A

EX PERSONA

C. N. CORNELII GALLI.

ERgo ego fallacis nuper nova cura puellæ,
 Exclusus surdas nunc querar ante fores?
 Et poterit vana male cautum fallere lingua,
 Et mecum testes fallere inulta Deos?
 Nunc ubi pacta fides, conjunctaque dextera dextræ,
 Verbaque confictis dissimulata dolis?
 Credulus omnis amans: utinam male credulus errem,
 Et falsa elusus credulitate querar.
 Se tamen haud dubiis, nec nostrum id fallit amorem,
 Indiciis prodit mox violanda fides.
 Non licet assuetos in vultu agnoscere risus,
 Non ore in nitido nutus amantis inest,
 Blanditiæque, jocique leves, mollesque susurri,
 Et quæ flexanimus verba ministrat amor.
 Quæ mihi culpa nocet? quo crimine, sæva Lycori,
 Commerui fastus sustinuisse tuos?
 Pectora manserunt fallenti fida, nec alter
 Arguitur nobis prætepuisse calor.
 Huc ades, ô nostris frustra expugnata querelis;
 Huc ades, ô oculis insidiata meis;
 Inque sinus redeas, ô formosissima, nostros:
 Pollicitis debes jungere facta tuis.
 Quid refugis puri sincerum pectoris ignem?
 Quid faciles lusus, ingenuosque sales?
 Hæc olim, fas sit jam dicere vera, placebant,
 Et potuere animos conciliasse tuos.
 Cantabam; noster decuit, te iudice, cantus:
 Saltabam; hac inerat mobilitate decor.
 Dulcia Pierio meditabar carmina plectro;
 Jurabas Clario carmina digna Deo.

Quid

Quid juvat ingratham votis superasse puellam?
 Quid juvat officiis demeruisse meis?
 Clausa quid obscuras jacuisse ad limina noctes,
 Quum Deus effuso tunderet imbres latus?
 Quid foribus pictas juvat imposuisse corollas?
 Oscula quid postis sæpe dedisse tuo?
 Nobile, si nescis, per me jam nomen adepta es,
 Et sociis facta es invidiosa tuis.
 Neglectus mihi fons sacer est, & culmina Pindi,
 Pieridesque Deæ, Pieridumque Deus.
 Te propter blandos Galatææ sprevimus ignes,
 Nec vincitam piguit deseruisse fidem.
 Et tamen hæc reliquas inter formosa puellas
 Fertur, & est multis sæpe petita procis.
 Crebra ad me teneros referebat littera questus;
 Littera, quam lacrymis sparserat ipsa suis:
 Non solitum pondus dulces habuere querelæ,
 Et gemitus mæstos mobilis aura tulit.
 Admissa his luimus forsitan perjuriam pœnis,
 Peccato forsitan torqueor ipse meo.
 Forsitan & exemplo fieri vis perfida nostro,
 Ut mala commisi quæ prior, ipse feram.
 At nostro potius sapias malefana periculo,
 Ne pariter læsos experiare Deos.
 Fallere cœlestes pudeat, jurataque sæpe
 Sidera, polliciti conscia facta tui;
 Nostro infusa sinu prima quum nocte jaceres,
 Ad strepitus raucos prætereuntis aquæ.
 Est prope Dardaniæ candentia mœnia Romæ,
 Floribus, & læto gramine pictus ager:
 Hinc viridi ridens assurgit cespite collis,
 Evolvit placidas hinc Tiberinus aquas.
 Grata quies riguæ florenti in margine ripæ,
 Gratum in gramineo præcubuisse toro.
 Sæpe illuc taciti submotis testibus ambo
 Venimus, occultos nocte juvante dolos.
 Ast hæc ante alias (meminisses vana Lycori)

Ante

Ante alias omnes hora beata fuit,
 Quum tu egressa domo, dicta maturior hora,
 Venisti ad iussum non comitata locum.
 Meque renidenti castigans ore morantem,
 Improbe, dixisti, ficine serus ades?
 Candida formosos vestis velaverat artus:
 Vittam renodatam presserat arte comam.
 Talem cœruleus quondam Nereida Delphin
 Vexit ad Hæmonium per freta longa virum.
 Sedimus ad mollem sinuosi fluminis undam;
 Summa fere nostros contigit unda pedes.
 Non puduit tunc lenta meis dare colla lacertis,
 Et caput in gremio composuisse meo.
 Lux mea, dicebam, cœlestia numina testor,
 Dum vivam, tempuste fore in omne meam:
 At tu purpureis figens mellita labellis
 Oscula dicebas, Tu quoque noster eris;
 Concepto tantum faveant pia numina voto,
 Quæque micæ cœlo, Delia, testis ades.
 Curva renascentis splendebant cornua Lunæ,
 Et placida æstivæ tempora noctis erant.
 Audit e cœlo promissum Luna sereno,
 Clarius & puro fidere lumen iit.
 Audit & glaucus vitreis Tiberinus ab antris,
 Quæque colunt Tiberis curva fluenta Deæ.
 Ast hæc præcipiti Boreæ nunc vota dedisti,
 Atque procellosis diripienda notis.
 Lædere nec verita es, quos nuper supplice lingua
 Præsentem fueras testificata Deos.
 Indoluit falsis spretam se Cynthia verbis,
 Deque astro visa est erubuisse suo;
 Quum tua volventem tacito perjuria corde
 Me vidit solito Cynthia flere loco.
 Omina fortunent superi; sua sæpe Diana
 Vindicat ultrici numina læsa manu.
 Læsa hæc incautæ Cydippes febribus artus
 Torruit, & Ceum iussit habere virum.

Bis

Bis septem Niobe natorum funera vidit:
 Vidit, & est Sipyli vertice facta silex.
 Terreat OEnidæ validis fera fixa sagittis:
 Terreat ambusto torre scelestæ parens.
 Et visa sine veste Dea Autonoeius Heros,
 Miratus fronti cornua nata suæ.
 Quam timui, quum tu morbo tentata doleres,
 Ne Divis pœnas impia lingua daret!
 Di prohibete nefas, nec ego crudelis amorem
 Hac mercede velim promeruisse tuum.
 Sit satius vixisse ream, si crimina cordi
 Sunt tibi, quam fatis occubuisse ream.
 Me tamen & curis, te crimine, teque periculo
 Exoluisse potes, stet modo pactus amor.
 Stet promissa fides, serumque adolescat in ævum:
 Hæc sit cura mihi, cura sit illa tibi.
 Juppiter ex alto probet hoc sublimis Olympo:
 Hoc Venus, hoc Veneris filius ipse velit.

EPIGRAMMA

ΑΙΝΙΓΜΑΤΩΔΕΣ.

Syrmatopullilutositrahus, doctorionummus,
 Romulidistoricus, gloriolacupida,
 Loripedatque cathedrituus, mentaureobarbus,
 Putrididentinus, rufipiloscutis,
 Simychonariffuus, rubicundoculumidilippus,
 Hircaxillolidus, rostrirepandibrochus,
 Trinigalerigerus, simulacriplateidecorus,
 Franciscanicola, nugipolyloquides.

IN OBITUM

JOHANNIS. BAPTISTÆ. POQUELINI.
MOLERI.

COMICORUM. ET. COMOEDORUM. SUÆ.
ÆTATIS. FACILE. PRINCIPIS.

PLAUDEBAT. MOLERI. TIBI. PLENIS. AULA. THEATRIS.
NUNC. EADEM. MOLRENS. POST. TUA. FATA. GEMIT.
SI. RISUM. NOBIS. MOVISSES. PARCIUS. OLIM.
PARCIUS. HEU. LACRYMIS. TINGERET. ORA. DOLOR.

VIXIT. ANN. LI. MENS. VI.
OBIIT. XIII. CAL. FEBR. A. R. S. MDCLXXVIII.

Ἐἰς τευχέδειπνον παρασίτον.

Ἐὐχομαί σοι, Γένετορ πάντων, ὃς ὀλύμπια νάϊεις
Δάμαλα, εἰ ποτε βῆ, θάνατον μετὰ, εἰς αἶδ' ὃ δῶ
Νυκτιλαθραϊοφάγ' τε καὶ ὠμοβόρ' τευχέδειπν',
Εὐμεγέθης σόμα' μέγ' ἀφαιρεῖν ἔρξ' ὀδόντων,
Καὶ παρὰ τοῖς Φλοιοῖς ἑσάιδ' ἄμυγδαλα θείναι,
Αἰτίας μίανθ' παρασίτη τῆδε κολάξεις.

IN GELLIAM CAECO NUPTAM.

CAllida quam sapuit cum nupsit Gellia cæco:
Quippe semel visam ducere quis poterat?

IN OBITUM

GABRIELIS COSSARTII, S. J.

Qui blandi studiis Cossartus floruit oti,
Et tot inexhausto pectore clausit opes;
Ille per humanas, dixit, sat lusimus artes,
Jam divina libet visere, terra vale.

I N

IN COR

GULIELMI MENAGII,

Conditum in sepulcro Magdalenzæ Loëtæ
uxoris nondum defunctæ.

HUc cor Menagii duplici mors funere merfit,
Cum corde abjuxit, casta Loëtæ, tuo.

IN MATTUM ALEATOREM

Versibus Latinis vel optime scribendis in-
genium non requiri statuentem.

AUrea Romano qui carmina concinat ore,
Ingenio Mattus posse carere putat.
At te hæc qui garris, dextram versante fritillo,
Judicio cur non, Matte, carere putem?

INSCRIBENDUM

Cryptæ Conchyliatæ

HERCULIS VALQUELINI YVETELLI.

HAs habuit formosa Venus cunabula conchas,
Surgere & has inter nunc quoque sæpe solet.

AD ALEXANDRUM MORUM

Extemporalis responsio.

Jam pridem resides nostro sub pectore flammæ,
Divina Phœbi munera,
Dilapsamque facem in cineres, Aramintha decoris
Quam pupulis succenderat,

Car.

Carminibus suavi quæ condit Musa lepore,
 Venuste More, suscitās,
 Qualia non cecinit Naso, mollisve Catullus,
 Nosterve Flaccus carmina.
 O, quam te Phœbo acceptum, faciliq̄e Thalia,
 Quam te beatum prædicem,
 Qui sic languentem potis es recreare sodalem,
 Qui sic joculari cum libet.
 Me vero Origenis cariōsa volumina torquent,
 Et lenta febris excoquit.
 Quod nisi sub tiliis tecum garrivero nostris
 Hac luce Lunæ proxima,
 Ilicet & fato concedere luce sequenti,
 Amicē, concupiverim.

VOTUM

Pro reditu ex Suecia in Galliam.

BOcharti comites, cohors inanis,
 Aptis sarcinulis & expeditis,
 Cum bulga exigua, tribusque peris,
 Non his grandibus atque ponderosis,
 Ast illis vacuis & expeditis;
 Magnis passibus Holmia relicta,
 Nec non Vandalia, Sueciaque,
 Gothicis, Ostrogothis, Visigothisque,
 Atque ipso Borea valere iussu,
 Et quidquid fuit uspiam Trionum,
 Tandem in Celtica passibus citatis,
 Aptis sarcinulis & expeditis,
 Tandem in Celtica cogitamus arva.
 At nos Mercurio Deo viarum,
 Cui sunt compita curæ & angiportus,
 Illud concipimus perenne votum,
 Istas numquam iterum vias ituros,
 Si nos incolumes domum remittat,

Sal-

Salvis sarcinulis, & integellis.
 Hoc nos concipimus perenne votum
 Bocharti comites, cohors inanis.

FUNUS

CLAUDII SALMASII.

CONCLAMATIO.

CLAUDI, CLAUDI,

Respice, respice:

Huc extremum,

Huc, SALMASI,

Lumina flecte.

Nam quis te novus

Intus habet dolor?

Nam quorsum animus

Aufugit tibi?

Num te, CLAUDI,

Mors gravis occupat?

Tunc æterno

Composuisti

Lumina somno?

Heu, heu, Socii,

CLAUDIUS occidit:

Non audit meas

Ille querelas.

Promite Syria

Balsama pyxide:

Et SALMASI

Tandem extremo

Ungite frigus

Munere corpus.

D

CON-

CONLOCATIO.

Tamet si properas, Viator, adsta:
 Quod sub vestibulo hoc jacet cadaver,
 SALMASI fuit. Hinc Vale, Viator,
 Nostram, si sapias, & vicem doleto.

AD LEYDAM URBEM.

Ourbes inter celeberrima LEYDA Batavas,
 Desine Phœbea sublimia tempora lauro
 Cingere, & augustos jam desine tollere vultus.
 CLAUDIUS, heu, rerum columenque decusque tuarum,
 CLAUDIUS ecce jacet fato præreptus iniquo.
 Hoc stante, ingenti tua sese Academia plausu
 Extollens, alias inter longe altior ibat.
 Occidit is postquam, declivem pondere vultum
 Mœsta gerens, magnum languet confessa dolorem.
 Hanc nos præteritis quondam suspeximus annis,
 (Et meminisse juvat) tanto cum sidere lata,
 Doctrina illustres cultuque referret Athenas.
 Quod postquam orbatam felici luce reliquit,
 Scilicet omnis honos studiorum & gloria cessit.

AD MORTEM.

Ministra fati, Ditis ignavam ad domum
 Quæ colonos trudas impia manu,
 Et cuncta falce demetis; postquam neci
 Potuisti acerbæ CLAUDIUM immitis dare,
 Quidni soluta funditus totum moves
 Compagne mundum? Conditus quando nigris
 Phœbus tenebris denegat terræ jubar,
 Et Luna fratris aureos vultus tegit,
 Exanguis hominum pectora invadit timor:
 Quippe imminere protinus mundo putant

Com-

Commune fatum. CLAUDIUS quando est truci
 Letho peremptus seculi lumen sui,
 Quidni hoc tenebras funus inducat graves,
 Orbemque totum nocte funesta premat?
 Haud triste lethum deprecor, postquam neci
 Potuisti acerbæ CLAUDIUM immitis dare.

AD FAMAM.

Diva laudis, & perennis proma conda gloriæ,
 Diva victrix mortis atræ, Diva victrix temporis,
 Ille qui virum per ora, (Diva, sic tu jusseras)
 Is per ora qui volabat, magnus ille CLAUDIUS,
 Ille quem tu personante prædicabas buccina,
 Morte crudeli peremptus nuper eheu concidit.
 Hunc potenter a feroci, Diva, morte vindica.
 Hic caducam morte vitam languidamque perdidit:
 Huic perennem pro caduca, Diva, vitam reddito.

AD MANES SALMASII.

Si quis amor rerum post tristia funera restat,
 Et Manes ima sequitur tellure repostos,
 Pallida quem totis Lethe non eluat undis,
 O anima, o dubiis vitæ defuncta periclis,
 Te non ulla quidem cepere obliviam nostri.
 Ex quo etenim me fors Leydensibus appulit oris,
 Atque tuam potui, SALMASI, tangere dextram,
 Et coram blandas audire ac reddere voces,
 Scilicet ex illo nostri pars magna fuisti,
 Ipse tui nonnulla fui, concordia postquam
 Pectora junxit amor. Memini me febre peresum,
 Atque istic longi perpesum incommoda morbi
 Jam tumulo quæri: non nostri sedula nutrix,
 Non nostri curam soror officiosa gerebat.
 Continuo tu languentem miseratus amicum,
 Auxilium afflictis rebus non molle tulisti.

D 2

Ergo.

Ergo, SALMASI, quæ nos, dum vita manebat,
Junxit amicitia, hanc etiam post funera servas,
Me vero quæcunque dehinc fortuna sequatur,
Non nostro illa tuum pellet de pectore nomen,

CONVOCATIO.

LEſti juvenes,
Atque virorum

Quidquid ubique est,

Quorum sacro

Pectora Phœbus

Contigit igni;

Eheu CLAUDIUS

CLAUDIUS ille

Jam crudelibus

Occubat umbris.

Huc, huc gemitus;

Huc suspiria;

Et languenti

Mittite tristes

Pectore questus:

Huc, huc lacrymas,

Huc, huc mœstos,

Uda profundant

Lumina fletus.

Ipsè ego pullo

Tectus amictu,

Spargam tumulum

Manibus plenis,

Et humum pingam

Vernis floribus:

Tum funereum

Hoc inscribam

Carmine saxum:

Clauditur hic parva magnus SALMASIUS urna:

Ille prius totum sub pectore clauferat orbem.

M O-

MONODIA.

POSTquam, SALMASI, felicem in commoda vitam
Publica consumſti, te Libitina rapit.

Te Libitina rapit, postquam te magnus Apollo
Imperium bifidi jussit habere jugi.

Postquam ego sic actæ traduxero tempora vitæ,
Sit mihi vita gravis; sit mihi dulce mori.

INHUMATIO.

CLAUDIUS lotos tibi, sacra mater

Terra, mandamus cineres in urna;

Terque plangentes positum suprema

Voce cœmus.

Tu sinu, Tellus, foveas benigno

Creditum pignus: levibus favillam

Contegas glebis: placido quiescant

Ossa sepulcro.

CONSECRATIO.

AD POETAS.

VAtes, parcite fletibus.

Cur molles lacrymas, cur gemitus graves,

Aut cur carmina tristibus

Decantata modis funditis anxii?

Jam nunc sat lacrymis datum est.

Huc, huc, pro lacrymis, purpureas rosas,

Huc plenis manibus date

Pallentes violas, albaque lilia.

Huc plenis thymiamata

Exhalent foculis, his redolentia

Aris thura profundite.

Divus sacra sibi munera CLAUDIUS,

D 3

Et

Et libamina postulat.
 Nam non ille quidem Tartareos lacus,
 Non hic Elysiū tenet:
 Sed postquam fragilem corporis exiit
 Molem, huic perpetuas domos
 In summo attribuit Juppiter æthere.
 Illi nectareus liquor
 Posthac ora meris proluet haustibus,
 Quem fundet Phrygius puer;
 Et totum liquidis ambrosiæ Venus
 Hunc perfundet odoribus.
 Formosæ soboles docta Coronidis,
 Mutarum pater artium,
 Fratres Tyndaridæ, & maximus Hercules
 Illi se comites dabunt,
 Quos virtutis amor vexit ad æthera.
 O quisquis studiis vacas,
 Et mentem ingenuis artibus excolis,
 Hic Musis præerit Deus,
 Intonso socius junctus Apollini:
 His jam se facilem dabit,
 Illum qui precibus supplicibus petent.

A D

ANTONIUM HALLÆUM

P R O F E S S . R E G .

R E S P O N S I O .

Q U I D resides, Hallæ, vocas ad carmina Musas?
 Quid mihi neglectam longo jam tempore suades
 Sollicitare chelyn, nostrisque impervia plantis
 Scandere Parnassi dubio fastigia gressu?
 Hoc ego si precibus cedens, & multa roganti
 Hallæo faciam, nec me dignoscatur Apollo,

Nec

Nec probet haud ullo digestos ordine versus.
 Non adeo ipse mei sum nunc oblitus, ut ægra
 Carmina, & excultis ausim inficianda Camœnis
 Promere, quæ nec te fuerint sub iudice tuta.
 Quod si me quondam temerarius impulit error
 Ad sacros latices, bifidique cacumina montis:
 Si densas propter lauros Permesside lympha
 Ebrius, Aonios ivi sine lege per agros;
 Ausus & æterna frontem vincire corona;
 Sat fuerit nimiumque, semel peccasse; sed ultra
 Non excusabit nova crimina pristinus error.
 Ergo quod vitæ superest, ignobilis otî
 Florebit studiis: me non orchestra canentem
 Excipiet; nec compositos sudante cerebro
 Narrantem versus videbit vulgus ineptum.

IN AGGERES HOLLANDICOS.

Fragmentum majoris operis.

HIS super edocti, longas molimine magno
 Infixere sudes pelago, tum immania saxa,
 Et simul effertæ prægrandia pondera terræ
 Advolvere super, molemque sub astra dedere.
 Vicino Nerei cunctos, his artibus usi,
 Præclusere aditus circum, mirabile dictu,
 Et docuere vagos vinclis assuescere fluctus.
 Ni faciant, magnasque urbes, camposque patentes
 Quippe ferox tumidis involvat fluctibus æquor.
 Haud aliter quondam Tethyn domuisse furentem
 Fertur, & iratos fluctus vinxisse catenis
 Innumero circum stipatus milite Xerxes.

D

A D

A D C H A N A V A R I N U M,

Quem accepi versibus Gallicis reddidisse Echogam meam, Vitis nomine inscriptam.

Immertam Vitem quo sis dignatus honore
 Audiat, & subito sic mihi Phœbus ait:
 Est jam cui Vitis, plus quam tibi, debeat alter;
 Esse illi dederas, hic dedit esse bene.

Psalmi CXXIX Paraphrasis.

Anxia sollicitis oppressus pectora curis,
 Ausus sum timidos ad cœlum tollere vultus,
 Supplicibusque, Sator rerum, te poscere votis.
 Ergo ades, atque pios ne dedignare vocatus;
 Sed facili tristes audi bonus aure querelas.
 Si nostra attento peccata examine pendis,
 Et rigido æquatæ reputas libramine lancis,
 Ecquis, io, admissi manifestus criminis, ira
 Cernere flammatos poterit, pater optime, vultus?
 Quis feret æternos ignes, & debita culpæ
 Supplicia, aut sævo poterit durare sub ictu?
 Verum equidem memini sensus in corde paternos
 Te gerere, & precibus non intractabile pectus;
 Confususque illo, quo nos dignaris amore,
 Protinus occultas animi, te iudice, labes
 Prodere sustinui, nec vanis artibus usus
 Criminibus studui falsos adhibere colores.
 Deinde tuas etiam leges dum mente revolve,
 Quas sacro retulit montis de vertice Moses,
 Adstrictæ & fidei solenni fœdere quondam
 Rite memor, cum me cœlum sperare iuberet,
 Si quando mœsta veniam te voce rogarem,
 Me subit æternæ spes non incerta salutis.

Ergo

Ergo purpureas ex quo de gurgite flammæ
 Extulerit Titan, donec se condat in æquor,
 Isacidum genus exultans tibi carmina dicat,
 Atque suas in te, Omnipotens, spes colloceat uno.
 Nam lacrymis ultro miserorum, & supplice fletu
 Tangeris, attritisque affers solatia rebus.
 Quondam etiam humanos non dedignaberis artus
 Induere, Abramidisque admissa piacula, fuso
 Sanguine diluere, & meritas avertere pœnas.

I N P O L Y C R E N E N

*Agri Sancaronii & Bavillæi fontem,
 EPIGRAMMA.*

Castalium mendax quid jactas, Græcia, fontem?
 Quid Phœbum, & socias, nomina vana, Deas?
 Quæ Sancaronicis Polycrene labitur arvis,
 Obscurat famam, nobilis unda, tuam.
 Hæc facit innumeros secundo gurgite vates,
 Aflat & in laudes enthea corda suas.
 Huic quoque numen adest, huic & suus adstat Apollo,
 Cum placidis adstat Lamoniæ aquis.
 Cui comitem sese dederit si forte Rapinus,
 Una Pieridum tunc chorus omnis adest.

I N I M A G I N E M

*C H R I S T I N Æ
 S U E C O R U M R E G I N Æ,
 Nummo impressam:*

*In cujus antica parte Regina ipsius vultus, in postica
 Solis effigies expressa est.*

Phœbus CHRISTINÆ pictos in imagine vultus
 Ut vidit, tales misit ab ore sonos:
 CHRISTINAM quisquis se pingere posse putavit,
 Pingere seque mea hic lumina posse putet.

E

Ἐπὶ τῷ Λοδοϊκῷ

Σ Ε Λ Τ Ζ Ι Ο Υ

Ευγενεστάτου καὶ ἔλλογιματάτου
νεανίου Θανατῆ.

Ε Λ Ε Γ Ο Σ.

Αρχετε νῦν λιγυροῦ, ἔταροι φίλοι, ἀρχίτε πένθους,
 Ηιδέων κῦδ' ὅ κατθανε Σελτζιάδης.
 Παθικὰ χρυσείας Ἀφροδίτης, ἔρν' Ἀρηῶ,
 Ἡρώων τε γέν' ἐνκλῆες, αἶμα Διός.
 Στήθεσι Φοῖβ' ἔφιζεν ὄλ', Χάριτες τε παρειαίς,
 Χείλεσι μὲν Πειθῶ, καὶ βλεφάροισιν Ἐρως.
 Καὶ τοιοῦτον ἔντα δυσώνυμ' ἤρπασε μοῖρα,
 Ουρανίων ἢ ἐνέροις πέμψεν ἄθυρμα θεῶν.
 Αὐτὰρ Φαβρίκι' ὄφρον κλέ' ὄφρον, ὄφρον ἔτλη,
 Αἴψα δὲ ἐξέθορον ὕβριν ἀμυνόμεν.
 Παλαῖς Ἀθηναίη, καὶ Φοῖβ' συμπαραμαρτουν,
 Πιερίδων ἢ ἔνθεν ἀντιάσκει χορός.
 Ἡδέα Φορμίζουσι ὄμου, θαμβοῦσα κατίσχει
 Ἴς ἀνέμου πνοίας, καὶ ῥόθιον ποταμίου.
 Θελεξινόοις κληθεῖς μολαῆσι, Κόρης γ' ἀεκύνης,
 Ἡεροέντα ζῶφρον κάλλιπε Σελτζιάδης.
 Ἐικελ' Ἀθανάτοισι παλίσουτ' ἐξεφαάνθη,
 Πάντ' ἀνά τομάτων ζησόμεν πινυτῶν.
 Ὡς φάσαν αἰγείδην σειραῖς ποτε Περσεφονείας
 Ἐργυρῶν Ἀλκείδου ἄλκαρ ὑπεξερύνει.
 Ἴππολύτῳ τε δεδουπότι καὶ πάλιν ἐς φά' ἐλθεῖν
 Θελητῆρ' ἢ μήτις δῶκε κορωνίδεω.
 Λήγετε γοῦν λιγυροῦ, ἔταροι, ἴτε, λήγετε πένθους.
 Σελτζιάδης ἡμᾶρ μόρσιμον ἐξέφυγεν.

A D

A D

M A R I A M P R A T E A M

V I R G I N E M E R U D I T A M.

Ut missis feriis det se iucunditati.

ODimus horridulas adducta fronte puellas.
 Quæ miscere jocos noverit, illa placet.
 Nos vates gens læta sumus; sic iussit Apollo:
 Iussit & argutos spargere Musa sales.
Onimum tetricæ studiis operata Minervæ,
 Pratea, contractum pone supercilium.
 Risit Pythagoræ conjux antiqua renati,
 Hesperiiis quanquam non minor illa Sophis.
 Risit & Erinne; risit formosa Corinna,
 Pindaricam toties vincere docta chelyn.
 Non te deliciis superet iucunda vetustas:
 Nominibus priscis te quoque finge parem.
 Corrisisse mihi dicitur Pratea virgo;
 Exemplum reliquis Pratea virginibus.

I N V E N U S T I S S I M A
J O H A N N I S R E Y N A L D I S E G R A S I

P O E M A T A.

O D E.

DUm leves inflat calamos Segræsus,
 Audiant mistis juvenes puellis,
 Suave quos ridens Cytherea blando
 Contigit igni.
 Esse non ulli vacet otioso.
 Vulgus impurum procul hinc facessat:
 Præbeat neu quis male feriatam
 Cantibus aurem.

E 2

Ridet

Ridet hic passim Venus; hic sagittis
Ludit intentis volucer Cupido;
Hic chorus zonis Charites solutis
Ducere gaudent.

Quos ad Amphrysum numeros Apollo
Rupibus quondam cecinit remotis,
Hic modis audax paribus Segræsi
Reddit arundo.

Cum sacro tales daret ore cantus,
Olenam junco viridem palustri
Non semel summa caput efferentem
Vidimus unda.

Interim venti steterunt silentes,
Atque suspensos tenuere cursus:
Olenæ patris requiesse fertur
Immemor urna.

Quin & arreptæ procul audierunt
Aure Segræsum bibula canentem
Naiades glauco niveum revinctæ
Pectus amictu.

Vidimus cursim Dryadas relictis
Saltibus lætas properare circum, &
Pana currentem simul efficaci
Carmine ductum.

Una præ multis tenero benignam
Carmini mentem Dryas applicabat:
Unde ringenti potuere rumpi
Ilia Mopso.

T H E A.
E L E G I A.

I, puer, i; Theam confestim in pocula misce:
Urget non solitus lumina nostra sopor:

Mens

Mens stupet: obtusæ languent in corpore vires.
Languorem solvet vivida Thea novum.

Dum loquor, ecce focus infertur fessilis olla,
Apposito infusus æstuat igne latex.

Protinus injicitur contortis Thea capillis.
Explicat implexas fervida lympha comas.

Impletur vacuum cœlesti nectare pectus.
Intima vitalis permeat ossa calor.

Jamque fugit venis ignavi causa veterni:
Marcida jam cæco fomite membra vigent.

Actutum incaluit blando mens icta vapore,
Dum felix agitat percita corda furor.

Non luctu est animus, non curæ obnoxius ulli:
Sed jocus, & risus, deliciæque placent,

Urbanique sales, & tinctus sermo lepore,
Et quæ multa solet fundere lingua dicax.

Nunc juvat assiduos intermisisse labores,
Et dulcem studiis inseruisse moram.

Nunc juvat & facili voces inflectere cantu,
Aut digitis resonæ ducere fila lyræ.

O Thea! ô sacro demessæ termite frondes!
O stirps magnorum munere nata Deum!

Quæ te læta tulit regio? quo limite cæli
Alma salutifero germine turget humus?

Hanc pater Eois Phœbus consevit in hortis:
Aurora asperfit rore benigna suo.

Et, seu * materno jussit de nomine dici,
Sive Deum ex donis, Thea vocata fuit.

Quippe tulere Dei nascenti munera plantæ,
Lætitiâ Comus, Mars animosque dedit.

Tuque, Coronide, succos facis esse salubres.
Hebe, fers rugis canitieque moram.

Mercurius vegetæ mentis concessit acumen.
Argutum Musæ contribuere melos.

Ergo non alios in carmina sufficit æstus,
Qui Pimplæa rigat nobilis antra latex.

E 3

Hinc

* Thea Au-
roramater.
Hesiod.
Theog.

Hinc Theæ quisquis crebro se proluit haustu,
 Tradidit huic artes dexter Apollo suas,
 Et caput implicuit lauro, curruque levatum
 Sacra coronatis ad iuga vexit equis.
 Non ego divini penitus sum muneri expers:
 Thea meo tingit sæpius amne comas.
 Spumea cumque suis infecit pocula succis,
 Et mea jucundus fluxit in ora liquor,
 Mens commota novo confestim excanduit æstro:
 Venere ad numeros carmina sponte suos:
 Carmina, quæ feri studeant didicisse nepotes,
 Cadmæisque canat docta puella jugis,
 Et circum recubans avida bibit aure juvenus,
 Aut agat ad teneros mollia membra modos:
 Dicat &, Hæc istis cantabat Huetius antris;
 Ostendatque mea saxa notata manu.
 Livor edax, in me vanis incurris habenis.
 Melpomene cedro nomina nostra linet.
 Meque suis addet laudatrix Gallia fastis,
 Illum post cineres spondet Apollo diem.

F I N I S.



85p

I N D E X

C A R M I N U M.

- E.
- E**cloga, inscripta Vitis, ad Claud. Salmasium. Pag. I.
 Elegia, ex persona Cn. Cornelii Galli. p. 42.
 Elegia de Thea. Vide Thea.
 Ἐλεγος ἐπὶ τῷ Λοδοίκῳ Σελτζικῆ θανάτῳ. p. 58.
 Epigramma Αἰνιγματῶδες. p. 45.
 ---- Ad Chanavarinum, in Personem Gallicam supra
 dicta Eclogæ. p. 56.
 ---- Ad Mariam Prateam, Virginem eruditam. p. 59.
 ---- Ἐἰς τρεχέδειπνον παράσιτον. p. 46.
 ---- In cor Gul. Menagii. p. 47.
 ---- In cryptam conchyliatam Herc. Valquellini Tvetelli.
 ---- ibid.
 ---- In Gelliam ceco nuptam. p. 46.
 ---- In imaginem Christina, Suecorum Regina. p. 57.
 ---- In Mattum, aleatorem. p. 47.
 ---- In obitum Joh. Bapt. Poquelini Molerii. p. 46.
 ---- In obitum Gabr. Cossartii, S. I. ibid.
 ---- In Polycrenen, agri Sancaronii & Bavillai fon-
 tem. p. 57.
 Epiphora, ad Alex. Morum. Vide Idyllium.
 Epistola, ad Aegid. Menagium. p. 36.
 Fragmentum majoris operis, in Aggeres Hollandicos. p. 55.
 Junus Claudii Salmasii. p. 49.
 Hymnus, ad D. Virginem Pudentiam Servatricem. p. 19.
 Idyllium Lucretiano Stylo conscriptum, ad Alex. Morum.
 p. 5. 6. & seq.
 Iter Suecicum, ad Joh. Capelanura. p. 26.

Ode,

I N D E X.

O.

<i>Ode, ad Ant. Halleum.</i>	p. 13.
---- <i>Ad Carol. Pererium.</i>	p. 10.
---- <i>Ad Ludovicum XIV.</i>	p. 14.
---- <i>Ad Nic. Heinsium.</i>	p. 34.
---- <i>Ad Tempe Alnetana.</i>	p. 41.
---- <i>In Ludovicum XIV.</i>	p. 17.
---- <i>In Poemata Joh. Reyn. Sagrafi.</i>	p. 59.
P.	
<i>Paraphrasis Psalmi CXXIX.</i>	p. 56.
R.	
<i>Responsio ad Ant. Halleum.</i>	p. 54.
---- <i>Extemporalis ad Alex. Morum.</i>	p. 47.
S.	
<i>Sal, ad Ducem Montauserium.</i>	p. 22.
T.	
<i>Thea.</i>	p. 60.
V.	
<i>Viris. Vide Ecloga.</i>	
<i>Votum pro reditu ex Suecia in Galliam.</i>	p. 48.

C O R R I G E N D A.

- Pag. 1. v. 5. *to referas*, quod in plerisque exemplaribus, muta in *reaseras*.
- P. 4. v. 29. pro *solvere*, quod in multis, lege *solvere*.
- P. 6. v. 18. post *Stradam*, tolle punctum, & pone comma.
- P. 25. v. 17. dele comma post *medimno*.
- P. 34. v. 22. dele punctum post *acuti*.
- Ibid. v. 24. Tolle punctum post *nostris*. & pone comma.
- P. 45. v. 23. Lege una voce, *Loripedatque cathedrituus*.



НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ІМЕНІ І. І. МЕЧНИКОВА

5

t. m.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ІМЕНІ І. І. МЕЧНИКОВА